

2268.
1697, 7 16

DISPUTATIO JURIDICA

De

REBUS EXTANTIBUS
UXORUM A CONCURSU
CREDITORUM SEPARANDIS,

Quam

Consensu

Magnifici Jctorum Ordinis

300

in

ALMA LIPSIENSI ACADEMIA

SUB PRÆSIDIO

DN. LÜDERI MENCKENII,

Phil. & J. U. D. Supremæ Curia Provinc. Lips. Assess.

& Min. Princ. Coll. Collegiati,

Dn. Patroni, Fautoris ac Præceptoris sui

æternum colendi,

Publico Eruditorum Examini

ad d. XIII. Octobr. Anno M DC XCVII.

In Auditorio Jctorum

sistet

JOHANNES ADOLPHUS OVENS,

Holfatus.

AUCTOR & RESPONDENS.

Literis IMMANUELIS TITII.

M. Kruse



PER-ILLUSTRI, GENEROSISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
DN. JOHANNI
LUDOVICO
de PINCIER,
SERENISSIMO DUCI SLESVIC. ET
HOLSAT. A CONSILIIS INTIMIS, STATUS,
ET GENERALIBUS BELLI COMMISSIONI-
BUS SPLENDIDISSIMO,

DOMINO AC MOECENATI SUO
perenni observantia colendo

tenue hoc Studiorum Academicorum Specimen
in

*Venerationis haud intermoritura documentum
plenissimamque perpetui Patrocinii fiduciam cum
submissâ obsequii contestatione
offert dedicatq;*

Johann. Adolph. Ovens.






Q. D. B. V.

CONSPECTUS DISPUTATIONIS.



Introitus. Rubrum explicatur *Th. 1.* ipsique tractationi præmittitur Generalis Quæstio : *An Uxores, cum jure Domini res extantes vindicare nolunt, vel non possunt, Separationem earum à Concursu Creditorum impetrare queant?* quod affirmatur *Th. 2.* cum resolutione dubiorum *Th. 3.* Hinc constituitur *Regula de Dotalibus Uxoribus Rebus Extantibus, quod tanquam alienæ sint à Massa Concursus separandæ.* *Th. 4.* licet (1) ipse Maritus rem dotalem immobilem alienaverit. *d. th.* huic sententiæ obstantia resolvuntur *Th. 5.* sive maritus dominium transferre voluerit, sive hypothecam, & quamvis consensus uxoris accesserit. *Th. 6.* etiam post biennium reiteratus. *Th. 7.* Inutilis autem non est uxoris iste consensus Jure Hodierno nonnullis in locis. *Th. 8.* & Saxonico, dummodo certa accesserint requisita. *Th. 9.* aut Jurejurando consensus corroboratus sit secundum Jus Canonicum, quod Civili Jure secus est. *Th. 10.* (2) Fundus ex pecunia dotali comparatus sit proprio nomine à marito, & , ipso non existente solvendo, superfit. *Th. 11.* Rationibus, quæ hoc prædium simpliciter esse dotale arguunt, satisficit *Th. 12.* (3) Fundus dotalis post mariti provocationem ad divisionem translatus sit. *Th. 13.* (4) Fundus dotalis existat, cum Maritus solvendo esse desiit, & uxor communem cum marito negotiationem exercuerit. *Th. 14.* nisi Statutum vel Consuetudo loci uxorem pro marito simpliciter teneri velit, quod durum quidem est, at rectæ rationi contrarium dici nequit. *Th. 15.* (5) prædium feudale in dotem datum fuerit. *Th. 16.* (6) mulier sciens obærato nupserit. *Th. 17.* argumentis obstantibus respondetur *Th. 18.* nisi forte sua prodigalitate &c. maritum ad inopiam redegerit : tum enim utilis vindicatio cessat, directa vero eidem salva est. *Th. 19.* (7) vindicentur fructus rei dotalis existentes, & ad mulierem pertinentes, quid apud Saxones hæc in parte circa fructus industriales obtineat simul exponitur *Th. 20.* Postea indagatur, utrum marito, facta

ab ipso alienatione fundi dotalis, contra istud factum venire eumque vindicare liceat, nec ne? idque affirmatur. *Th. 21.* quicquid in contrariam sententiam invitabat resolvitur *Th. 22.* subjiciturque quod uxori ac marito concessæ Vindicationis fundamentum sit Dominium rei dotalis naturaliter penes uxorem, civiliter penes maritum existens constante matrimonio, effectumque vindicationis regulariter marito, irregulariter uxori, largiens. *Th. 23.* id quod ulterius declaratur. *Th. 24.* *Regula*, in superioribus constituta, *de rebus dotalibus uxoris à concursu separandis*, limitatur, nisi (1) illæ venditionis gratia æstimatæ fuerint & maritus solvendo sit. *Th. 25.* (2) Mobilia sint in dotem data, sive servando servari possint sive non, dummodo maritus creditoribus suis, quod debetur, solvere queat *Th. 26.* (3) Alienatio ex Causa Necessaria sit suscepta, ubi etiam in eventum, quo maritus desierit esse solvendo, fundi vindicationem deficere moneatur *Th. 27.* (4) Prædium dotale sit in uxoris utilitatem cum alio commutatum. *Th. 28.* (5) Dotali Fundo à tertio possessore vindicato, vel ipsa res vel æstimatio litis præstita sit: tunc enim à concursu mariti vel hæredis ejus pretium rei dotalis superstes nequit vindicari. *Th. 29.* id quod etiam in hærede ipsius testamentario obtinere deducitur. *Th. 30.* A dotalibus ad Paraphernalia uxoris bona transitur, de quibus constituitur Regula: *Paraphernalia uxoris bona, quæ exstant, à mariti tertive concursu creditorum, constante & soluto matrimonio, separanda sunt.* *Th. 31.* modò id actum non sit, ut eorum dominium ad maritum transfret. *Th. 32.* In dubio autem uxoris illata pro paraphernalibus, non dotalibus, rebus haberi debent Jure Civili. *Th. 33.* & Saxonico. *Th. 34.* Denique *Bona Uxorum, quæ vocantur Receptitia, quoties exstant, à massa concursus mariti tertive separari ac jure vindicari possunt.* *Th. 35.* Cæterum rei dotalis vindicationi non præscribitur, nisi ex eo tempore, quo in judicium potuit deduci. *Th. 36.*



L. B. S.



Urpem humano generi fraudis & nequitiae publicae confessionem proderet *Seneca*, (a) quod annulis plusquam animis creditur, dum pacta conventa impressis signis custodiuntur, hominesque cogere fidem, quam spectare, malunt. Verum, si quotidianae circumventiones pronaeque ad perfidiam mentes paterentur in data fide acquiesci, nec iustae acerbaeque de perfidis querelae, atque luctuosa eorum, qui iacturam facultatum aliena malitia passi sunt, exempla ad majorem mortales incitarent circumspectionem, in monita *Senecae*, circa fidem habendam non cogendam, bonus quisque haud aegre conspiraret, votorumque damnatus de novo mitigandae Sortis humanae remedio Orbi gratularetur. Quoniam autem tot *Seculorum* series vanam & inanem esse spem fidei ab omnibus aequali cura servandae docuit, nemo tam improvidus erit, qui auctor cuiquam esse velit, ut temere sequendo fidem alterius nocituram caperet gloriolam, & defraudationes potius experiatur, quam ex aliorum exemplis addiscat. Summa enim sollicitudine adhibita etiam circumspectissimi falluntur, ipsa carcerum molestia fidei adstringendae haud sufficit, & improba calliditas lucra per fraudes sectantium prudentiam de damno vitando certantium superat. Unde inter Creditores concurrentes, cum solvendo non est debitor, tanta tamque tenax de Jure Prioritatis fervet contentio, ut Creditores tedium controversiae eventusque incertitudo angat, Judices vero disputationis amplitudo & pertinacia diversi que juris cognoscendi difficultas exerceat oneretque. Cum igitur singulis creditum petentibus satisfieri nequit,

ipsa æquitas naturalis alios aliis favore digniores censerī præferri que
 jubet, quos Juris Civilis determinatio, sic volente arbitrio Legislatoris,
 in diversa sæpe conditione collocat, id quod dissidentia hinc inde à se
 invicem Statutorum Consuetudinumque Jura evincunt. Interim æ-
 quissima est eorum postulatio, qui Concurrentium Creditorum alter-
 cationibus se subductum eunt, unico hoc præsidio nixi, quod debito-
 ris bona solutioni eorum, qui credita repetunt, pateant, ab alienis au-
 tem abstineri fas sit, itaque quicquid alieni immixtum est Massæ Con-
 cursus ab eadem separari volunt, ne incertam Concursus fortunam se-
 quantur, qui suo jure molestiis illis macerari haud debebant. Sed
 quia ex diversis admodum titulis ad eos, qui solvendo esse desierunt, no-
 stra pervenisse queunt, & cardo litis in eo versatur, utrum illa, quo-
 rum separatio petitur, aliena sint, nec ne, de quo cum ancipiti exitu non-
 nunquam disceptatur, operæ pretium me facturum putavi, si, Specimen
 Academicum editurus, ex iis, qui res extantes persequuntur, Uxores
 seligerem, earumque jura, in bonis à Concursu separandis, indagarem,
 ut ex eo elucesceret, an & quando jure separationem petendi gauderent
 exciderintve. Quoniam verò infelicem esse Conatum, qui sine Nu-
 minis ope suscipitur, Pietas docet, & experientia corroborat, Cœli
 gratiam auxiliumque supplex imploro, cum constanti exorationis fi-
 ducia. Cæterum, Thematis explicatione præmissa, hoc Ordine ince-
 dere decrevi, quo res Uxorū Extantes à Concursu Creditorum sepa-
 randæ tanquam I. Dotales, II. Paraphernales, III. Receptitiæ expen-
 duntur, Faxit Deus feliciter!

(a) SENECA *d. benefic. l. 3. c. 15.*

Th. I.

UT Tractationi brevem Tituli Interpretationem præmittam, (1.) *Per*
Res Extantes exprimuntur ea, quæ ad patrimonium pertinent, vel ex
bonis sunt, Uxorū, & in rei veritate adhuc existunt. l. 24. §. 2. ff. d.
reb. auct. jud. poss. j. §. 2. l. d. vi bon. rapt. adeoque excluduntur extra
patrimonium constituta. pr. j. d. rer. divis. j. l. 3. §. 2. ff. de bon. poss. l. 34.
ff. d. neg. gest. l. 16. ff. d. relig. & sumt. fun. l. 3. §. 5. ff. d. pecul. (a) in-
telliguntur autem illa, quæ tanquam ad Patrimonium Uxorū pertinen-
tia, vel in bonis earum existentia, pro alienis & ad massam concursus
non referendis agnoscuntur. a. l. 38. ff. d. pecul. l. 31. §. 1. ff. d. R. C. l.
24. §. 2. ff. de reb. auct. jud. poss. l. 2. §. 22. ff. de vi bon. rapt. Uxorū
voce

voce (2) denotantur Personæ fœminini sexus matrimonio junctæ. l. 31. ff. d. R. N. §. 12. f. d. nupt. nec interest, utrum duret adhuc matrimonii vinculum. l. 29. C. d. jur. dot. an verò sit dissolutum. l. 30. C. eod. l. un. §. 3. C. d. rei uxor. act. quandoquidem sæpissimè finito matrimonio de bonis dotalibus, paraphernalibus, receptitiis uxoribus restituendis agitur. *Concurfus Creditorum* (3) significat Universale Judicium inter Creditores eorumque Debitorem communem coram hujus judice competente constitutum. fac. l. 10. C. d. Judic. l. 2. C. d. jurisdict. l. f. C. ubi in rem act. (b) Per *Separationem* (4) indicatur non Beneficium Pratoris, quo Creditores defuncti petentes causâ cognitâ à propriis Creditoribus hæredis, solvendo non existentis, separantur, ut ipsis è patrimonio defuncti præ Creditoribus heredis satisfiat. l. 1. pr. §. 1. l. 5. ff. de separat. j. l. 2. C. d. bon. auct. jud. poss. (c) sed rerum alienarum, ad massam concursus haud pertinentium, ab eadem segregatio. l. 1. C. d. privil. fisc. j. l. 5. §. 18. ff. d. tribut. act.

(a) j. GOEDD. ad l. 5. ff. d. V. S. n. 23. (b) LYSER. d. concurs. & grad. cred. c. 1. th. 1. (c) J. RICHTER. d. Jur. & Priv. Cred. c. 1. membr. post.

Th. II.

His de Thematis explicatione præmissis haud inconvenienter subjicietur *Generalis Quæstio: An Uxores, cum jure Domini Res Extantes Vindicare nolunt aut non possunt, Separationem earum quoque impetrare queant, propterea quod illa, quæ persequuntur, ex Contractu. e. g. commodati, depositive ad eas pertineant? Id quod affirmare non dubito* ob jus petentium, debitoris solvendo non existentis obligationem, libertatem eligendæ actionis Creditorumque concurrentium interesse deficiens. Nam (1) commodantes rei commodatæ, deponentes rei depositæ & possessionem & proprietatem retinent. l. 8. ff. commod. §. 5. f. d. interd. l. 29. ff. depos. (a) sive igitur convenitur debitor ipse sive alius, qui ejusdem fungitur vice: ut Curator Bonorum. l. 2. §. 2. ff. de Curat. bon. dand. j. l. 3. §. 3. ff. commod. (b) restitutioni ex commodato aut deposito se subtrahere nequit, ne, cum liquida sunt commodantium vel deponentium jura, ipsis injusta detrectatione restitutionis noceatur. a. l. 31. §. 1. ff. depos. vel ex aliena substantia Creditoribus concurrentibus solu-

lu-

lutio quærat. *a. l. 12. C. qui pot. in pign.* (2.) Obligatio depositarii aut commodatarii ad rem depositam commodatamve in specie restituendam §. 2. 3. *Inst. quib. mod. re contrab. oblig* & quidem in deposito quando cunque deponens voluerit, *l. 1. §. 45. 46. ff. de pos* per motam à Creditoribus concurrentibus debitori litem ita non mutatur, ut commodantes deponentesve rerum extantium præcisam restitutionem urgere prohibeantur. Siquidem eorum jus repetendi salvum est, re commodatâ aut deposita nondum consumpta. *a. l. 24. §. 2. ff. de reb. auct. jud. poss.* Similes igitur in vasoribus alienarum rerum essent Creditores, qui suæ jacturæ solamen ex alterius injusto dispendio quærent, cum scire debeant quivis, quod suum non est, hoc ad alios modis omnibus pertinere. *l. 11. C. unde vi.* (3.) Deponenti commodantique merito relinquatur electio, utrum rei vindicatione rem suam persequi. *a. l. 24. §. 2. ff. de reb. auct. jud. poss. §. 19. f. d. obl. quæ ex delict. nasc. j. l. 27. ff. de pignor. act.* an verò actione ex contractu commodati depositive rei superstitis restitutionem desiderare malit; præcipue cum hoc, ad evitandam dominii probandi difficultatem, sit expeditius. *a. l. 54. ff. d. R. f. l. 20. ff. d. acquir. rer. dom.* nec quisquam excludendus ab actione concurrente cum alia, quoties per eam suum facillimè consequi potest. *§. 5. f. quod cum eo, qui in alien. potest.* (4.) Creditores ex bonis sui communis debitoris solutionem fieri optimo jure postulant, & de iis, quæ in fraudem ipsorum gesta sunt, revocandis agunt. *l. 1. ff. quæ in fraud. Cred.* at, cum cessat defraudatio ejusque metus, aliena detinere nequeunt sine causa. Et sicuti nummos in massa concursus extantes, pro quibus comparata est res in fraudem creditorum, alienatione revocata reddi jubet emptori *J. C. in l. 7. l. 8. ff. eod.* ita res depositas commodatas similesve, cum eas alienas esse certum sit, Commodantibus & Deponentibus ex bona fide restitui par est. *a. l. 31. §. 1. ff. de pos. (c)*

(a) *CARPZ. P. 1. C. 28. d. 15. n. 1.* (b) *Conf. BARTOL. ad l. 14. ff. d. reb. auct. jud. poss. n. 1.* (c) *Conf. RICHT. d. Jur. & priv. Cred. c. 2. membr. 1. n. 11. ubi præj.*

Th. III.

Quodsi pro contraria sententia, quæ deponenti aut commodanti tum demum jus petendi separationem largitur, quando rei vindicatione adversus alium, quàm eum cum quo contraxit, utitur, afferas, commodantem item deponentem ejus, qui solvendo non est, fidem secutum

cutum esse, atque ex illo contractu personalem actionem ad rem repetendam competere. §. 1. *f. d. act.* non realem, veluti rei vindicationem, indulgeri. *a. d.* §. distinguendum puto inter contractum, ex quo dominium in accipientem transit. e. g. mutui, ubi, cum ad restitutionem in genere sit obligatus mutuatarius, dominiumque in ipsum semel translatum. *l. 2. §. 4. l. 3. ff. d. R. C.* mutuanti vindicatio denegatur, & inter contractum, ex quo saltem custodia aut usus, non dominium, ad accipientem devolvitur, quò refero commodatum, depositum, similesque conventiones, siquidem iis celebratis, qui rei usum concessit vel custodiam commisit, cum Dominus est, & vindicandi, & ex contractu agendi facultatem habet. *l. 24. §. 2. ff. d. rebus auct. jud. poss.* ac proinde eligere actionem pinguiorem haud prohibetur, maximè cum ex contractu hujusmodi ad rem in specie recuperandam tendatur, eademque, cum extat, in specie reddi debeat. *a. l. 68. ff. d. R. V. l. 2. §. 1. ff. d. R. C.*

Th. IV.

Jam ad Res Uxorum Proprias convertor. Cum verò earum facultates diversam considerationem mereantur, quatenus sunt Dotales, Paraphernales aut Receptitiæ, separatim eas perpendisse expediet. Nomine rerum dotalium comprehendo patrimonium in maritum, ad ferenda matrimonii onera, translatum. *l. 9. l. 20. l. 29. l. 30. C. d. jur. dot. l. 16. ff. d. relig. & sumt. fun. l. 13. §. 2. ff. d. fund. dot.* de quo eam constituo Regulam: *Res Dotales extantes sunt tanquam aliena à massa concursus separanda. dd. ll.* quam in subsequentiis plenius excutere licebit. Quoties superstiti uxore maritus bonis lapsus est, & res dotales salvæ sunt, etiam constante matrimonio uxori rerum dotalium permittenda vindicatio, haud secus atque si dos soluto matrimonio repeteretur: nam casus mariti mulierem defraudare non debet dote, per quam sibi marito liberisque consulere potest. *a. N. 91. c. 1. l. 29. l. 30. C. d. jur. dot.* Idem sentiendum, quando res dotales apud tertium, qui solvendo esse desiit, existunt, cum enim salva est uxori proprietas. *d. N. 91. c. 1. l. 30. C. d. jur. dot.* rei vindicatio adversus quemvis possessorem datur. *d. N. l. 9. ff. d. R. V.* idque locum habet *Quamvis ipse maritus rem dotalem immobilem alienaverit:* illi enim alienatione interdictum. *l. un. §. 15. C. d. rei uxor. act. pr. f. quib. al. lic.*

B

l. non

l. non j. l. 5. C. d. leg. (a) Nec interest utrum maritus translationem in eum fecerit, qui scivit, an in eum, qui ignoravit, rem dotis esse. *l. 42. ff. d. usurp. & usuc.* quandoquidem inutilitas alienationis non à qualitate accipientis dependet; sed à deficiente transferentis alienandi potestate. *d. l. un §. 15. l. 2. §. 1. ff. d. fund. dot.* Idem omnino defendendum esse existimo, cum de Dominio non pleno, sed minus pleno, per emphyteuseos constitutionem, transferendo actum est, quoniam hæc quoque utilis domini per emphyteusin datio speciem alienationis complectitur. *l. f. C. d. reb. alien. non alien. l. 5. ff. d. fund. dot. j. l. 16. ff. eod. (b)*

(a) CHRISTINÆUS V. 3. dec. 133. n. 26. (b) CUIAC. l. 7. O. 23.

Th. V.

Verum, quod assertum alienationem rerum immobilium in dotem concessarum à marito susceptam invalidam esse, adeoque fundum alienatum vindicari posse, non est extra controversiam. Quandoquidem, *propter jus mariti in dote, constante matrimonio, alienationem illam subsistere, solutoque matrimonio demum resolvi*, cum resolutio jure dantis resolvatur etiam jus accipientis. *l. 31. ff. d. pign. contendit Wesenbec. (a)* Ex quo fluere videtur prædium dotale durante matrimonio à bonis tertii, qui illud accepit, licet foro ipse cedat, jure domini separari non posse. *a. l. 23. ff. d. R. V.* maxime cum Marcianus in *l. 17. ff. d. fund. dot.* doceat actum alienationis, quem venditione & traditione fundi dotalis perfecit maritus, ex postfacto ita corroborari posse, ut irrevocabile dominium operetur, scilicet, si mulier in matrimonio decedat, & dotem maritus lucretur. Sed quia Lex Julia prædii dotalis alienationem vetuit. *pr. j. quib. al. lic. vel non. & actus contra legis prohibitionem susceptus vitio nullitatis laborat. a. d. pr. l. un. §. 15. C. d. R. U. A. j. l. 5. C. d. leg. l. 30. C. d. jur. dot.* non demum in eventum soluti matrimonii, verum *ab initio, eundem esse inutilem existimo. (b)* Neque contrarium tutò colligitur (i) ex dominio penes maritum constante matrimonio hærente, quippe cui, non uxori, regulariter competit dotis vindicatio. *l. 9. C. d. R. V.* Quis enim nefcit, jus alienandi proprietario bonorum denegari posse, tanquam effectum ab ipso dominio separabilem, sive id fieri jubeat personarum conditio, e. g. pupillorum. *§. 2. j. quib. al. lic. l. non. sive natura juris, alia-*

ve iusta causa. *l. 1 f. C. d. reb. al. non alien. l. f. C. d. pact. int. emt. & vend.* Id quod declaratur exemplo Vasalli, utile Dominium in Feudo habentis, at Domini agnatorumque consensum in alienationem Feudi antiqui requirentis. *ii. f. 55. 39. & Emphyteutæ, cui consensum Domini Emphyteuseos adhibere incumbit secundum l. f. Cd. jur. Emphyt. (c)*
(2) *Contrariam sententiam stabilire non licet ex venditione fundi dotalis ex postfacto convalescente. l. 17 ff. d. fund. dot.* Quamvis enim regulariter, quod ab initio vitiosum est, tractu temporis non possit convalescere. *l. 29. ff. d. R. 7.* exceptioni tamen locus est, quoties nova causa confirmans, ad validitatem negotio conciliandam efficax, supervenit. Ita enim Donatio inter Virum & Uxorem ipso jure nulla est. *l. 3. §. 10. ff. d. donat. int. vir. & uxor.* attamen morte donatoris vel donatricis omnino confirmatur, certumque robur induit. *l. 32. §. 1. ff. eod.* item filii-
fam. testamentum inutile declaratum, licet is sui juris factus decesserit. *pr. f. quib. non est permiff. fac. test.* ex nova militis voluntate virtutem nanciscitur. *§. 4. f. d. milit. testam.* nec non donatio à Patre in filium in potestate constitutum collata invalida est. *l. 11 l. 17. C. d. don.* nihilominus ex silentio ejus plenissimam vim nanciscitur juxta *l. 25. C. d. donat. int. vir. & uxor. (d)*

(a) *W E S E N B E C. Paratit. π. t. de fund. dot. n. 7.* à quo dissentit *HAHN ad eund. d. l. (b) VOET. ad π. t. d. fund. dot. n. 2. (c)*
STRUV. S. f. C. Ex. 11. th. 55. verb. restrictum (d) Conf. HUBER. in Praelect. ad π. t. d. Rit. nupt. pos. 5. BARBOS. Axiom. l. 12, c. 28. ax. 12.

Th. VI.

Quemadmodum autem traditum nullam esse mariti Alienationem fundi dotalis, qua id agitur ut transferatur dominium, ita quoque invalida est Hypotheca in eodem constitutio. Siquidem in genere cautum est *in l. f. C. d. reb. alien. non alien.* quod toties, quoties lex alienationem inibuit, non solum Dominii alienatio, sed etiam hypothecæ constitutio prohibita censeatur, idque in specie corroborat. *pr. f. d. quib. alien. lic. vel non. l. un. §. 15. C. d. R. U. A. Cum igitur Maritus prædium in dotem acceptum Hypotheca cuiquam supposit, competere puto vindicandi facultatem, licet creditum, in cujus securitatem fundus ille est traditus, nondum sit dissolutum: nam quod nullum est, effectum impediendi hanc vindicationem haud producit.*



c. 52. d. R. 7. 6 Idem judicandum esse existimo, si uxor in alienationem aut obligationem fundi consenserit. Quamvis enim olim prædii dotalis alienatio, accedente mulieris consensu, valida fuerit, obligatio autem ne quidem illa consentiente valuerit, cum soleant uxores in hypothecam facilius quam translationem dotalis fundi consentire, affectu & spe luitionis invitatae. a. l. 4. §. 1. ff. ad Sct. Vellej. (a) noluit tamen Justinianus fragilitatem sexus muliebris in perniciem substantiæ mulierum converti, adeoque vetuit tam alienationem, quam hypothecam, ex voluntate uxoris consentientis firmamentum novum nancisci. pr. §. quib. al. lic. vel non. l. un. §. 15. C. d. rei ux. act.

(a) HUBER. in Praelect. ad Inst. t. quib. alien. pos. 6. SCHILT. ad π. Ex. 36. §. 94.

Th. VII.

Equidem simplicem uxoris consensum haud esse obligatorium videri poterat, iteratum tamen, maximè post intervallum biennii, efficacem producere obligationem. a. l. 22. C. ad Sct. Vellej. ita ut primum consensum affectus in maritos propensus & præcipitancia, vim præjudicii futuri non perpendens, extorsisse, iteratio autem consensus integrumque biennii spacium, ad deliberationem quasi indultum, vitium, quod consensui antea inerat, purgasse censeatur. Verùm à diversis infertur, quando ab intercessione pro extraneo facta, quam d. l. 22. C. respicit, ad consensum in alienationem rei dotalis à marito susceptam ducitur argumentum: (a) intercessio enim pro marito, ob facilem uxoris ad intercedendum sollicitationem, inutilis, non tam facile, atque pro extraneo, convalescit. Auth. si qua mulier. C. ad Sct. Vellej. & uxor hoc casu saltem alienationi vel obligationi conjugis consentit, amore conjugali incitata, minus autem est in translationem rei consentire, quàm alienare. l. 165. ff. d. R. 7. j. l. f. §. 5. C. de bon. qualib. l. 1. C. de bon. matern. (b) j. N. 61. c. 1. §. 3. in f. it. §. 2. d. c. l. 12. §. 43. ff. d. instruct. l. instrum. leg. (c)

(a) ECKH. ad π. t. d. fund. dot. §. 3.

(b) WISSENB. ad t. d. R. 7. disp. 25. th. 2.

(c) CUIJAC. ad N. 61. LUDW. ad pr. §. quib. alien. lic. vel non. verb. Neg. it. ZANGER. d. Except. P. 3. c. n. n. 68. seqv.

Th. VIII.

Haftenus de Prohibita Marito prædii dotalis alienatione, licet in-

intercesserit uxoris consensus, *dicta, num Hodierno quoque Jure obtineant*, haud inutile erit indagasse, præcipuè cum iis in locis, quæ bonorum observant communionem inter conjuges, amplior potestas, quàm Jure Civili, marito indulgeatur. Scilicet Statuta Moresque nonnullorum locorum diverso planè nituntur fundamento circa alienationem rerum uxoris, amplissimam potestatem marito largiuntur, & ne quidem bona dotalia immobilia ejus dispositioni subducunt, cum bonum sit mulierem, quæ se ipsam marito committit, res etiam suas arbitrio ejus relinquere. *a. c. 7. X. d. donat. int. vir & ux. l. 8. C. d. pact. convent.* inprimis quoniam onerosum censetur Domino liberam rerum administrationem arbitriumque disponendi de suis adimi. *a. l. 21. C. mand. & intuitu sexus consensum uxoris in alienationem fundi dotalis negligi. fac. l. 3. C. d. revoc. donat.* Unde Statutis Mechlinensibus *Christineus (a)* contrariam Juri Civili sententiam obtinere monet, idem in Frisia receptum esse adstruit *Sandius, (b)* & de suis aliorumque moribus affirmat *Grænewegius. (c)* Agnoscitur nihilominus hujus licentiæ restrictio, quoties mariti memorata potestas, & circa bona uxoris disponendi libertas, est limitata, aut ob malos mariti prodigosque mores impetrata bonorum separatio: tum enim licentia mariti terminos, qui pacto legitime præfixi sunt, haud egreditur. *a. l. 23. ff. d. R. 7. l. f. C. d. pact. int. emt. & vend. & prodigi mores ab occasione dissipandi bona uxoris excludunt. a. l. 40. ff. d. R. 7. l. 6. ff. d. V. O. imò, si consuetudo loci statutumve id patiatur. a. l. 38. ff. d. pact. l. f. ff. suis & legit. hered. (d)* res proximè ad Jus Civile reduci videtur, quod conjugum bona alienis accenset. *l. 1. l. 2. ff. d. act. rer. amot. in rebus immobilibus dotis titulo concessis verò usurpationem dominii in marito suis limitibus includit. pr. 7. quib. al. lic. vel non. Jure Provinciali Ditmarsorum Art. 42.* data potestas mulieri, maritum redigi ad inopiam probanti, Judicem implorandi, ut maritum ad cautionem dotis nomine præstandam adigat. *fac. c. 7. X. d. don. inter Vir. & Uxor. (e)* Caterum, cum alienandi potestas marito, contra loci consuetudinem & Statutum, pacto similive ratione, denegata est, id agendum, ne quis justa ignorantia arbitrii in marito circumscripti labatur decipiaturve. *a. l. 11. §. 2. 3. 4. 5. ff. d. institor. act. (f)*

(a) CHRISTIN. in LL. municip. Mechlin. t. 9. art. 3. n. 3. 4.

(b) SAND. l. 2. t. 4. d. 2. id. de prohib. rerum alien. c. 10. n. 14.

(c) GROENEW. d. LL. abrog. ad pr. I. quib. alien. lic. vel non. n. 1. seqq. j. VINN. ad d. pr. verb. ne sexus. HOPP. ad d. pr. in us. mod. (d) J. GUDELIN. d. Jur. Noviss. l. 1. c. 8. verb. ceterum. (e) HENR. GISEBERT. Peric. stat. secund. ad d. art. 42. n. 59. seq. j. SIMON v. LOEUWEN Cens. For. l. 1. c. 12. n. 7. (f) id. c. 1. n. 6.

Th. IX.

Quod si Jus Saxonicum intuear, communionis aliquam haberi rationem deprehendo. L. R. l. 1. a. 31. Mann und Weib haben kein gezweyet Gut / eandem verò ad compossessionem mutuam restringo. d. art. P. 3. C. El. 33. cumque maritus sit bonorum uxoris usufructuarius & administrator legitimus. d. art. it. L. R. l. 1. a. 45. etiam in fundo dotali alienando peculiari consilio foeminae prospiciendum est, ne maritus id, quod deest consensui uxoris, supplendo in propria quasi causa auctor esse videatur. §. 3. J. d. auct. tut. j. P. 2. C. El. 16. §. Ob nun. Dec. El. 24. Itaque valida erit apud Saxones alienatio praedii in dotem dati, quando Maritus consensum Uxoris, & Curatoris alius eidem constituti approbationem, impetrat. Sic enim mariti alienatio, consensu mulieris legitimo munita, suum sortitur effectum, juxta Juris Saxon. principia, alienationem cum consensu Conjugis ferentia, (a) & cura adhibetur, ne immoderata facilitate mulierum illae dotibus suis exuantur, quas iis conservari publicè interest: nam dotatas esse foeminas ad sobolem procreandam, replendamque liberis civitatem, maximè est necessarium. l. 1. ff. solut. matrim. (b) Præterea, quoniam de re immobili in alium agitur transferenda, requirunt resignationem dominii & judicialem traditionem, de cujus necessitate Jur. Sax. El. ex Dec. El. 62. constat, (c) adduntque causae cognitionem coram magistratu illiusque decretum accedere debere, ut inde appareat, quod alienatio hæc uxori sit utilis aut necessaria. (d) Quanquam autem, si consuetudo loci memoratam cognitionem exigat, eandem non eam improbatum, quandoquidem impedit temerariam dotalis praedii alienationem manusque marito, ad translationem rerum facili & ad abusum auctoritatis maritalis propendenti, injicit; (e) evidens tamen nondum deprehendo fundamentum, ex quo decreto, ad imitationem rerum pupillarum minorumve, sit opus. a. l. 12. C. d. praed. & al. reb. min. l. 22. C. d. administr. tut. j. l. 14. l. 16. ff. d. Leg. l. 2. ff. de his qui sui l. al. Quod enim curae mariti legitimae sub-

subjicitur uxor, extraordinaria pro sequiore sexu sollicitudine & singulari jure contingit, idque eò extendendum non est, ut indistinctè instar minorum mulieres habeantur: aliàs enim minus securæ essent cum iis conventiones, ob metum restitutionis infinitaque incommoda alia, ex comparatione uxorum cum minoribus enascentia. *a. l. 3. C. si tut. vel curat. interv. j. Dec. El. 4.* Hinc recensita comparatio ad mulierem curatore destitutam pertinet, indicatque non minus uxorem, quàm minorem, curatoris opera adjuvandam esse, licet inter utrumque curatorem plurimum interfit. Nam Mulierum imbecillitati sexus consilio, Minorum verò defectui ætatis consensu & administratione succurritur, ut reliquas omittam diversitates. *j. P. 2. C. El. 15. O. P. S. t. 8. l. 20. C. d. administr. tut. l. 3. C. d. in integr. rest. min. (f)* taceamque causam ab utilitate petitam, ad distrahendas res minorum immobiles, haud sufficere. *l. 5. §. 14. ff. d. reb. eorum qui sub tut. (g)* eandem verò in dote, aliarum rationum ope, defendi posse. *l. 26. l. 32. ff. d. jur. dot. (h)* Ex præcedentibus itaque colligitur, salvam esse fundi dotalis vindicationem apud Saxones, nisi ante commemorata solennia accesserint. *a. l. 8. §. 17. ff. transact. (i)*

(a) SCHILTER. *ad π. Ex 36. §. 95. 96. SCHULZ. Syn. I. t. quib. alien. lic. lit. b. (b) CONS. CARPZ. P. 2. c. 15. d. 21. n. 5. PHILIPP. ad Dec. El. 24. Observ. 6. n. 10. seqq. BRUNNEM. ad l. 2. C. de fund. dot. n. 2. (c) J. PHILIPP. ad decis. El. 62. obs. 1. (d) SCHULZ. d. l. COLER. dec. 286. n. 209. BERL. P. 3. Concl. 29. n. 96. (e) conf. COVARRUV. Part. 2. releet. c. quamvis. d. pact. in 6. §. 1. n. 18. verb. sic sanè. (f) ZANGER. d. Except. Part. 3. c. 11. n. 196. CARPZ. P. 3. C. 23. Def. 31. n. 10. PHILIPP. ad Dec. El. 24. obs. 6. n. 7. J. MEVIUS ad Jus Lub. P. 3. t. 1. a. 10. ad n. 77. verb. tempus. (g) FACHIN. contr. l. 3. c. 3. SAND. l. 2. t. 9. d. 14. (h) BRUNN. ad l. 26. ff. d. jur. dot. n. 3. CARPZ. P. 3. c. 8. d. 33. n. 6. (i) COLER. Dec. 286. n. 209. BERL. P. 3. C. 29. n. 97. PHILIPP. ad d. Dec. obs. 6. n. 10. CARPZ. P. 2. C. 15. d. 21. n. 5. sequ.*

Th. X.

Adeò nihil validitatis ad Mariti Alienationem Prædii Dotalis confert Jure Civili Uxoris Consensus, ut, ne quidem accedens eisdem iusjurandum fœmine, alienationis actum confirmet. a. l. 5. pr.

§. 1.

§. 1. C. d. leg. Quantacunque enim virtus sit jurisjurandi, negotio tamen vitio nullitatis laboranti validitatem haud præstat, secundum Juris Civilis constitutionem. d. l. quæ generaliter definit ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam haberi: licet legislator fieri prohibuerit tantum nec specialiter dixerit inutile esse debere, quicquid contra legem factum fuerit. d. l. j. l. 7. §. 16. ff. d. pact. (a) Quin autem Jure Canonico & Hodierno tale Jusjurandum, corroborandi consensus gratia interpositum, plenissimum sortiatur effectum, haud esse ambigendum censeo, partim propterea, quia jusjurandum negotio juxta Juris Civ. rigorem, ob prohibitionis auctoritatem, inutili accedens servandum est. c. 2. d. pact. 6. partim quoniam eam sententiam haud obscure exprimit. c. 28. X. d. jurej. dum monet, quod, etsi mulierum consensus in talibus non videatur obligatorius secundum legitimas sanctiones, ne tamen eo prætextu viam contingat perjuriis aperiri, mulieres ipsæ servare debeant hujusmodi juramenta sine vi & dolo spontè præstita, cum in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ. (b) Conscientiæ igitur potissimum hac in parte curam habet Jus Canonicum, quod in hisce passibus sequi consuevimus, & attendit regulam, qua cuilibet juri pro se introducto renunciare licet. l. 29. C. d. pact. Verum si renunciationem hanc Legislatorem ob præjudicium Reipubl. declarasse inanem, publicumque dotis favorem esse, dixeris. a. l. 1. ff. solut. matrimon. l. 2. ff. d. jur. dot. l. 85. ff. d. R. §. plurimum interesse moneo, utrum conventio jurata publicæ saluti directò sit contraria, cui ex jurejurando robur conciliari haud puto. a. c. 19. X. d. jurej. an verò indirectè saltem verseturque circa negotium privatam utilitatem principaliter respiciens, præ reliquis tamen favore publico dignum, atque illi jurisjurandi vinculum non inutiliter accedere sentio. dd. cc. (c) Ut prætermittam Juris Civilis recensitam prohibitionem doti non in genere, sed in re immobili consistenti saltem, prospicere conservandæ. pr. §. quib. alien. lic. vel non. Interim præstitum semel ab uxore juramentum, consensus interpositi efficacius adstringendi gratia, non tantum vindicationem adversus emtorem, sed etiam contra tertium possessorem, in quem fundus ille dotalis postea translatus est, impedit, siquidem illud ista intentione persolutum, ut is, qui à marito prædium comparavit, de legitimè quæ-
sito

sito dominio esset securus; contra jurantis, & juramentum exigentis, mentem igitur illud interpretationem non recipit. *c. 9. XXII. q. 5. neq; restrictionem patitur, quando de eâ partes egisse ex circumstantiis penitus colligi nequit. a. l. f. C. d. non num. pec. c. 21. 23. X. d. jurej. (d)*

(a) ANT. PEREZ. *ad Cod. t. d. fund. dot. n. 9. HUNN. Var. Resol. Jur. Civil. l. 2. tr. 4. q. 15. j. COVARRUV. Part. 2. Relect. c. quamvis. d. pact. in 6. §. 1. n. 18. & 24. (b) ANT. PEREZ. c. l. n. 9. PHILIPP. Us. Pr. j. l. 2. Ecl. 40. n. 8. THOMING. dec. 31. n. 48. 49. (c) GALL. l. 2. obs. 39. n. 20. seqq. (d) COVARRUV. d. l. n. 17. verb. tertio.*

Th. XI.

Sed quia nonnunquam contingit, ut uxor marito certam pecuniæ summam in dotem det, & pro eadem postea constante matrimonio prædium certum comparetur, nova emergit disputandi occasio. *An fundus, ex ista pecunia emtus, pro dotali sit habendus, ita, ut illius vindicandi potestas uxori salva sit, nec ne?* Quoties ex pecunia in dotem data suo nomine consentiente marito mulier prædium aliquod comparavit extra dubium constituo, quòd mulieri quæratum dominium, cum id inter contrahentes actum, & pecunia dotalis in eam rem conversa sit. *l. 6. C. si quis alter. vel sibi sub alter. nom. j. l. 22. C. d. admin. tut. (a)* Neque (1.) impugnari potest ista prædii comparatio ex eo capite, quòd inter virum & uxorem donationes constante matrimonio sint improbatæ, imò ipso jure nullæ. *l. 3. §. 10. ff. d. donat. int. vir. & ux.* quandoquidem manente matrimonio uxori ob eam causam dos reddi potest, ut fundum idoneum emat. *l. 73. §. 1. j. l. f. ff. d. jur. dot. (b)* præterea donationis nomine non venit spei successionis, quam in bonis mobilibus habet Maritus apud Saxones, renunciatio: alienare enim propriè non creditur, qui spe acquirendi se exiit. *a. l. 6. pr. §. 4. ff. que in fraud. credit. j. l. 10. ff. d. donat. int. vir. & uxor. (c)* Neque (2.) quicquam facit id, quod post dotem constitutam quæsitum haud fiat dotale, sicuti pretium, ex re furtiva redactum, non est furtivum. *l. 48. §. f. ff. d. furt. nec comparatum ex pecunia deposita in depositi locum succedit. l. 6. C. d. R. V.* quia non tam illud prædium esse dotale, quàm uxori istud acquiri, eique vindicandi potestatem competere, affirmatur. Verùm quando Maritus pecuniam dotalem collocat, atque ex ea prædium suo nomine emit, istud dotale fieri non puto suffragio *l. 12. C. d. jure dot.*

C

ad-



adjutus, quæ docet ex pecunia dotali fundum à marito comparatum,
uxori non quæri, Marito igitur cedit, cui à venditore traditur. *j. l. 1. l. 6. l.*
8. C. Si quis alter. vel sibi sub alter. nom. l. f. C. d. serv. pign. dat. manum.
cum id inter contrahentes actum sit, & pecuniam in dotem datam ma-
ritus pro arbitrio expendat sub obligatione restituendi eandem in gene-
re eodem eademque qualitate. *l. 42. ff. d. jur. dot. dd. ll. j. l. 19. ff. d. reb.*
cred. (d) Quamvis verò ex his consequatur, fundum ex pecunia dotali
marito emtum non esse dotalem propriè, in nostro tamen casu, quo sol-
vendo non est maritus, pro dotali habetur, sive talis esse videtur. *l. 54. ff.*
d. jur. dot. l. 22. §. f. ff. solut. matrim. adeoque uxori haud deneganda e-
jusdem utilis vindicatio. *l. 29. l. 30. C. d. jur. dot. l. 55. ff. d. donat. inter*
vir. & uxor. Quod in favorem mulierum est receptum, ne, cum res
ex dotali pecunia comparatæ superfunt, eas, quippe quæ patrimonium
mariti auxerunt, tanquam suas petere, & à creditorum concursu se-
parationem impetrare, prohiberentur. *a. d. l. 55. d. l. 54. (e)*

(a) *CARPZ. B. 3. C. 23. d. 29. BRUNNEMANN. ad l. 12. C. d. jur.*
dot. n. 3. seqq. (b) CHRISTINÆUS V. 3. Dec. 133. n. 41. (c) CARPZ.
d. l. id. d. 21. (d) COLER. dec. 286. n. 84. GROENEW. ad l. 54. ff. d.
d. jur. dot. DUAREN. ad l. 22. §. f. ff. solut. matrim. j. ARUMÆ.
ad ff. Disp. 15. tb. 12. HILLIG. & DONELL. l. 5. c. 2. lit. c.

Th. XII.

Nihilominus rem à marito ex pecunia dotali emtam, in even-
tum soluti matrimonii, simpliciter esse dotalem, sunt qui contendunt,
(a) idque *ex l. 26. ff. d. jur. dot. l. 27. 32. ff. eod.* aliisque textibus indubita-
tum reddi putent, *legem verò 12. C. d. jur. dot.* ita explicent, ut soluto,
non constante, matrimonio dotis actio. i. e. Vindicatio ad fundum, à
marito ex pecunia dotali comparatum, competat petendum. *l. 30. C.*
eod. Sed quominus illi sententiæ accedam, impedit casuum speciali-
tas in *d. l. 26. 27.* & verborum proprietates in *d. l. 12.* Namque *l. 26. &*
27. ff. d. jur. dot. de casu tractat, quo in utilitatem mulieris pecunia do-
talis in rem permutatur, ubi fundus vel res dotalis efficitur, quia utili-
tas mulieris intenditur, nostro autem casu maritus pecuniam in suam
utilitatem jure permittente erogat. *j. l. 12. C. d. jur. dot. l. 42. ff. eod.*
(b) Item in *l. 32. ff. d. jur. dot.* non de pecunia in rem, sed re in pecuni-
am voluntate mulieris commutata agitur, eamque dotis esse dicitur.
j. l. un. §. 9. 15. C. d. R. U. A. l. 60. ff. d. acquir. rer. dom. l. 3. §. 7. ff. uti
possid.

possid. (c) Cæterum l. 12. C. d. jur. dot. manifestius prædii ex dotali pecunia acquisiti dominium marito addicit, quàm ut contraria interpretatio ferri queat; unde mulieri neque vindicationem, neque emti actionem indulget, quia maritus uxori non acquisivit actionem. a. l. 38. §. 17. ff. d. V. O. j. l. 8. C. si quis alt. vel sibi sub alt. nom. & pretii s. pecuniae in istam emtionem conversæ petitionem habere mulierem actione dotis, s. quæ de pecunia dotali expensa repetenda competit, declarat. d. l. j. d. l. 8. l. un. pr. §. 2. 9. 13. C. d. R. U. A. (d) Atque ex his redditur expeditum fundum ex pecunia dotali à marito acquisitum, & vicissim venditum, à bonis tertii separari jure haud posse, quando neq; casus existit, quo vivo marito dos repetitur. a. l. 29. C. d. jur. dot. neque is, quo post mortem ejus suæ indemnitati consulit uxor & res dotales vindicat. a. l. 30. C. eod. l. 54. ff. eod. j. l. 55. ff. d. donat. int. vir. & ux.

(a) v. DONELL. c. l. ARUM. c. l. (b) BRUNN. ad l. 26. ff. d. jur. dot. CHRISTIN. V. 3. Dec. 133. n. 30. (c) CUJAC. Obs. l. 17. c. 2. (d) j. BRUNNEM. ad l. 12. C. d. jur. dot. n. 5. & præc.

Th. XIII.

Haftenus de rebus ex pecunia dotali comparatis actum est; cum verò etiam prædium commune. e. g. inter cohæredes, mulier marito in dotem concedere haud prohibeatur, adeo firmo uxoris vindicandi jus innititur fundamento, ut saluum hoc sit, quamvis maritus communionis dissolvenda gratia ad divisionem ejus provocaverit: ipsa enim provocatio ad divisionem illicitæ alienationis exemplum continet. l. 2. C. d. fund. dot. j. l. 1. Commun. utr. jud. (a) Nec interest v. g. marito solvendo non existente, in quem sit facta fundi dotalis translatio, a. l. 55. ff. d. R. V. l. 55. ff. d. donat. int. vir & ux.

(a) HUBER. in Prælect. ad π. t. d. fund. dot. ANT. PEREZ. ad C. t. d. fund. dot. n. 3. JACOB. THOMING. dec. 31. n. 38. seq.

Th. XIV.

Nunc investigari meretur, An Mulier communem cum Marito Negotiationem exercens sæpe commemorato Jure Vindicandi bona, quæ existunt, dotalia uti queat? Equidem societas lucrorum necessariam communicationem continet sub onere subeundi quoque damna. §. 2. f. d. societ. l. 30. ff. eod. adeoque uxorem intuitu societatis

constituta nomina simul dissolvere teneri constat. *a. l. 38. l. 27. ff. pro soc.* Nihil tamen urget, ut inde putem excludi uxorem, bona extra societatis causam habentem, à jure competente ad dotalium rerum vindicationem. *a. l. 3. C. ne uxor pro marit.* nisi foeminam arctius statuti vel consuetudinis ratio adstringat. *a. l. 80. ff. d. R. 7.* Quoties igitur dotalia, quæ supersunt, bona nihil cum societate commune habent; sed vel apud tertium, salvo uxori dominio, extant, vel in massa Concursum Mariti, qui latius patet, quam ut ad debita nomine societatis dissolvenda restringatur, deprehenduntur, nihil eorum vindicationem remorabitur. (a) Nonnunquam verò tantus est Statutorum Consuetudinumve rigor, ut Bona Uxoris, quæ Mercatori nupta est, propria, quò Creditoribus satisfiat facilius, iisdem destinentur. Huc referre licebit *Statutum Hamburg. l. 2. t. 5. art. 10. verb. daß (der Frauen) Brautsehatz/ wie dann in gleichen alle andere ihre in stehender Ehe angeerbte Güter vor ihres Mannes Schulden gänzlich haßten/ und gehalten seyn sollen.* (b)

(a) *vid. MEV. ad JUS LUB. Part. 3. t. 1. a. 9. n. 55. seqq. GAIL. l. 2.*

obs. 90. n. 5. (b) apud MEV. ad JUS LUB & C. Part. 3. l. 1. a.

10. n. 82. j. GAIL. d. l. n. 1. LAUTERB. ad Jus Stat. Hamburg. th. 57.

Th. XV.

Num verò notam iniquitatis effugiat Statutum vel Consuetudo, quæ uxorem mariti debita dissolvere cogit, ambigi poterat propterea, quod naturali & civili rationi nihil sit convenientius, quàm ex suo quemque facto, non alieno, teneri; unde tanta cum cura inculcant leges, ne Filius pro Patre. *l. 1. C. ne fil. pro patr.* aut Uxor pro Marito conveniatur condemnenturve. *l. 3. C. ne uxor pro mar.* Accedit mulierum favor, præcipuè in rebus dotalibus, quas ipsis servari Reipubl. interest, quò nubendi faciliorem inveniant occasionem. *l. 2. ff. d. jur. dot.* pro quibus simul sexus imbecillitas militat, ne ex eadem jacturam facultatum patiantur. *pr. l. quibus alien. lic. vel. non.* aut sine juris præsidio relinquuntur, si vel maximè contra propria quid moliri velint emolumenta. *l. 4. C. de sponsal.* Quantus verò cunque sexus dotiumque favor sit, id efficere nequit, ut Respubl. impediatur salutis communis gratia creditoribus pinguiora, quàm Jus Civile, jura adversus mulieres indulgere. Siquidem omnia, quæ jure contrahuntur, contrario jure pereunt. *l. 100. ff. d. R. 7.* & ratione naturali certi quid suadente Legislatori non adempta est, aliam
æqui-

æquitatis rationem admittendi, licentia, qua prior, in relatione ad publicos usus, vel temperetur vel vincatur. *a. l. 12. C. qui pot. in pign. l. 45. ff. de relig. l. 22. §. 9. C. d. jur. delib.* Ita Jure Civili quoque ob singularem, quam meretur annona militaris, prærogativam, dotem cedere primipilo visum. *l. 4. C. in quib. caus. pign. l. hypoth. tac.* ejusque causa ad utilitatem publicam, dotis ad privatam, quodammodo pertinere credita est. *l. 3. C. d. primipil.* Quoniam igitur multarum civitatum anima quasi est Mercatura, quæ securitati æris alieni dissolvendi maximè innititur, eventusque incertitudo fortuitorum pericula minuit. *l. 11. §. 4 5. ff. d. min.* utilitas ipsa suggessit hoc medium, quod uxorum frugalitatem incenderet creditorumque exactionem adjuvaret, quo jure, tanquam singulari, generaliori legum dispositioni derogatur. *l. 80. ff. d. R. 7. &*, quicquid subesse videtur rigoris, publicæ fidei utilitate temperatur compensaturque, (a) maximè cum pactis dotalibus mitigare juris duritiem permitti solet. *fac. P. 3. C. El. 20. (b)*

(a) Conf. BARTOL. *d. Repress. qv. 1. n. 8. MYNS. cent. 1. obs. 29. COLER. Dec. 31. n. 2. id. d. Process. Execut. Part. 1. c. 3. n. 39. HILLIG. ad Donell. l. 15. c. ult. lit. b. (b) CARPZ. P. 1. Dec. 60. n. 12. PHILIPP. ad Dec. El. 6. Obs. 5. n. 14.*

Th. XVI.

Quæ in superioribus tributa est uxori prædium dotale vindicandi, & dotales res à concursu separandi, potestas exercetur optimo jure, quamvis uxor non Allodium, sed Feudum, in dotem dederit. Cum enim haud minima sit dotis constituendæ necessitas, ut fœmina conditionem nubendi inveniat. *l. 1. ff. solut. matrim.* maritusque in ferendis matrimonii oneribus sublevetur. *l. 20. C. d. jur. dot.* haud prohibebitur feudum habens fœmina hoc in dotem concedere marito *ii. f. 13. 17.* præcipuè quia uxor constante quoque matrimonio naturaliter domina rei dotalis permanet. *l. 30. C. d. jur. dot.* ejusdemque alienatio à marito suscepta & ob qualitatem prædii dotalem, & ob conditionem feudalem, impeditur. *ii. f. 55. 39. l. un. §. 15. C. d. R. II. A.* gestus igitur de facto alienationis actus vitio nullitatis laborabit, & feudi vindicatio locum inveniet, ne dote sua defraudetur uxor. *a. l. 55. ff. d. donat. int. vir. & uxor. l. 29. l. 30. C. d. jur. dot. (a)*

(a) MYNS. *cent. 4. obs. 86. n. 4. LUDWEL. de feud. c. 17 p. m. 361. STRUW.*

STRUV. S. J. F. c. 13. a. 5. n. 1. JUL. CLAR. sent. l. 4. §. feudum.
q. 36.

Th. XVII.

Quid si Mulier sciens obarato viro nupsit, eidemq. pradium aliquod in dotem concesserit, num excidisse eam Beneficio Separandi dotalem fundum ab ipsius tertive concursu censebitur? Equidem, illam commemorata vindicatione indignam esse judicandam in Concursu Creditorum mariti, sequi videtur ex opinione eorum, qui hanc à privilegio dotis excludendam esse arbitrantur. (a) Sed quia dotis privilegio fortius quodammodo jus habet uxor, vindicatione rerum dotalium existentium usura. a. N. 91. c. 1. l. 29. l. 30. C. d. jur. dot. nec desunt Dd. pro atro, ad privationem privilegii dotis tendente, calculo album surrogantes, (b) benigniorem sententiam, quæ mulieri jus vindicandi dotalia hæc extantia vult esse salvum, præferendam puto. Nam in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius. l. 192. §. 1. ff. d. R. J. l. 56. ff. eod. maximè in dotibus. l. 85. ff. eod. l. 1. ff. solut. matrim. & mulier, ne quidem pacto expresso, dotis conditionem potest reddere deteriore. a. l. 14. l. 17. ff. d. pact. dot. multò minus incerta, ex matrimonio cum inope contracto petita, conjectura sufficiet ad auferendam eidem vindicandi licentiam, à jure indulgam. a. N. 1. c. 2. §. 2. N. 22. c. 33. cum alia capi possit, quam donandi & remittendi juris sui, præsumtio a. l. 25. ff. d. probat. Fœmina enim, quæ in matrimonium cum inope contrahendum consentit, affectu conjugali, quæ matrimonia conciliat, in ipsum fertur. a. l. 11. C. d. repud. & plerumque emendationem fortunæ mariti sperat, tandemque, si res infeliciter cadat, periculo egestatis se committit. a. l. 22. §. 7. ff. solut. matrim. animo sublevandi indigentiam mariti ex suis, quæ jura tuentur & conferant, bonis. a. l. 29. C. d. Jur. dot. tam profusæ verò & immoderatæ facilitatis non esse creditur, ut in eventum, quo maritus ad paupertatem redactus fuerit, ex rebus dotalibus solutionem creditoribus quæri, seque inanem, citra spem solandi ex bonis istis familiæ miseriam, dimitti velit. d. l. j. l. 73. §. 1. ff. eod.

(a) JASON. ad l. Si constante. ff. solut. matrim. n. 172. seqq. GAIL.
l. 2. obs. 84. n. 8. CARPZ. l. 4. Resp. 25. BERL. p. 1. Concl. 65.
n. 81. (b) BARTOL. ad l. si constante. ff. solut. matrim. n. 23.
seqq. FINGKELTHUS. Obs. 80. PHILIPP. ad Decis. El. 6.
obs.

obs. 3. BACHOV. ad Treutl. V. 2. D. 7. th. ult. lit. a. verb. mu-
lier. j. Dec. El. 6.

Th. XVIII.

Pro sententia contraria quidem *urgetur potest* (1.) Mulierem, quæ
sciens solvendo non existenti nubit, mores illius approbare, eosque
postea serò nimis accusare. *a. l. 13. §. f. ff. ad L. Jul. d. adult. l. 5. C. d.*
sponsalib. Verùm huic argumento parum tribui par est, ob generalita-
tem: nam variis homines infortuniis ad inopiam rediguntur, & sæpe justa
mores prodigos accusandi causa deficit; quodsi autem maritus ex mala
rei familiaris dispensatione ad incitas redactus sit, uxor in consortium
istius imprudentiæ culpæque vocari non potest, cujus tempora illa ad-
ministratio bonorum perperam facta præcessit, & eousque vim patri-
monii plerumque dissipavit, ut indigentia morbus sit medela major.
Hæc igitur, quæ tali jungitur sciens, confidere videtur juri publico doti-
bus, maximè extantibus, prospicienti, adeoque alienam culpam luere
haud cogetur. *a. l. 22. C. d. pen.* (2.) Provocare licet ad *arg. l. 41. §. 3. ff.*
d. jur. dot. ubi maritus periculum nominis in dotem dati ferre jubetur,
qui ab initio debitorem non esse solvendo scivit, cum culpa sua da-
mnum sentiens idem sentire non intelligatur. *l. 203. ff. d. R. 7.* At cau-
sam periculi, dum dotem repetitura uxor concursui immergitur, sibi
fœminam meritò imputare, & cum ne quidem res dotales supersunt, de-
trimentum inde descendens æquo ipsam animo ferre largior; nego
contra adeò incertis nominibus mulierem credere dotem censerì, ut à
spe recuperandi sua penitus excludenda sit, quandoquidem beneficiis
juris doti prospicientibus confidit, non post Creditores mariti se collo-
cari desideravit, nec actum interposuit, qui privilegii muliebris renun-
tiationem complecteretur. *a. l. 25. ff. d. probat. l. 1. C. de Usufr.* Un-
de ne quidem *ex l. 3. §. 3. ff. ut in poss. leg. vel fideicom. serv.* validè in-
fertur ad corroborandam opinionem diversam, quia plurimum inter-
est, utrum quis ab initio fidejussorem minus idoneum admittat, & pro-
pterea novam cautionem exigere prohibeatur, an vero matrimonium
cum obærato contrahat ejusque fidem, in eventum concurrentium
Creditorum, non tam sequatur, quàm patrimonii, & fiduciam benefi-
ciorum rebus dotalibus, quæ supersunt, indultorum, siquidem res alie-
næ inter Creditores distribuendæ non sunt. *a. l. 11. C. unde vi. l. 8. ff. que*
in fraud. Cred. O. P, S, T. 42. §. 1. (3) Moneri poterit mulierem ex-
presso

presso pacto dotis conditionem deteriore[m] reddere prohibitam, eandem tamen tacito pacto rectè onerare; cum nonnunquam plus valeant quæ tacitè, quam quæ expressè, geruntur: ita actus legitimi conditionem tacitè recipiunt, cujus adiectione expressa vitiantur. *l. 77. ff. d. R. 7. l. 12. ff. de acceptil.* Verum expressa *d. l.* nocent, non expressa non nocent. *l. 195. ff. d. R. 7.* itaque tacita conditio minus, quàm expressa, validitati negotii, quod geritur, obest. *a. l. 80. ff. d. V. O. l. 12. d. reb. dub.* Præterea in tacito, quo præjudicium fit rei dotali, pacto favor dotis tacitæ conventioni majorem tribui virtutem, quam expressæ, haud patitur. *a. l. 16. ff. d. fund. dot.* ut taceam, negatam esse hætenus existentiam conventionis tacitæ de remittendo jure dotis, ac proinde eandem nullum quoq; producere effectum. *c. 52. d. R. 7. 6.* (4) in subsidium vocatum *c. 7. X. d. donat. inter vir. & ux.* parum vel nihil evincet. Quamvis enim ex eo colligi possit, uxorem, quæ marito ad inopiam vergenti dotem dat, postulantera, ut sibi caveatur de dote servanda, audiendam esse, non tamen inde probatur, mulierem in cautione exigenda morosam, jus dotis remisisse videri, neque enim jurium remissiones temerè præsumendæ, sed potius evidenter probandæ veniunt. *a. l. 25. ff. d. probat. l. 19. ff. d. inoff. testam.*

Th. XIX.

Interim novam æquitatis speciem induit sententia, quæ uxori vindicationem denegat, marito bonis lapsa, quoties uxoris luxuria & mala rei familiaris administratio maritum ad inopiam redegit. Nihil enim frequentius est in jure, quàm beneficia iis subduci, qui suis id meruerunt maleficiis. *a. l. 52. ff. d. re jud. l. 2. l. 3. C. si minor se maj. l. 10. §. 1. ff. d. fidejuss. l. 67. §. f. ff. pro soc. l. 12. C. d. dignit. & frustra de Creditorum locupletatione sua cum jactura conqueritur, quæ sua luxuria ansam creditorum periculo dedit, proptereaque impunis relinquenda non est. *fac. l. 55. ff. d. donat. inter vir. & ux. l. f. §. f. ff. quæ in fraudem cred. fact.* Ex his igitur liquet injustum fore uxoris desiderium, quando ex dote sua comparata utiliter vindicare cupit, quippe quæ vitio prodigalitat[is] & maritum & creditores quasi defraudavit. *a. l. 37. §. 1. ff. d. minor. (a)* & læsionem allegare nequit, quam suo sibi facto conscivit. *a. l. 1. §. 5. ff. d. injur. l. 145. ff. d. R. 7. l. 203. ff. eod. l. 9. §. 1. ff. loc. cond.* Attamen nondum satis liquere puto, quo jure directa rerum dotalium extantium vindicatio, ad impetrandam à concursu separationem,*

nem,

nem, impediri queat. Nam hæc in patrimonio mulieris permanſiſſe creduntur. *a. l. 30. C. d. jur. dot.* & inter Creditores diſtribui nequeunt, quamdiu in promptu eſt domini probatio. *a. l. 5. §. 18. ff. d. tribut. act.* niſi forte ſtatuti aut conſuetudinis virtus eam probatæ uxoris luxuriæ velit eſſe pœnam; ubi cum marito egeſtatis experietur jugum, quæ adjuvit prodigalitatis, cum aliorum detrimento, conſortium. *a. l. 1. §. 3. 4. ff. d. ſerv. corrupt.*

(a) *j. Dec. El. 6. ibique PHILIPP. Obſ. 4. CARPZ. P. 1, C. 28. d. 85. RICHTER. d. privil. cred. c. 3. ſect. 1. n. 159.*

Th. XX.

Conceſſa in ſuperioribus Uxori *res dotales vindicandi licentia quoque ad fructus rei dotalis extantes, & ad mulierem pertinentes, applicari poteſt.* Quodſi enim forte marito res dotalis ante matrimonium tradita ſit, atque is ex eadem fructus perceperit, quin uxori reſtituendi ſint, dubitandum non eſt. *l. 5. ff. ſolut. matrim.* ſiquidem dos ſine matrimonio eſſe non poteſt. *l. 3. ff. d. jur. dot. l. 1. §. 2. ff. pro dote.* Idem omnino ſentiendum de fructibus rerum dotalium pendente mariti concurſu perceptis, quoniam illos uxori vindicanti rem dotalem reddi par eſt, partim ob Dominium dotis, quod in hunc eventum exerceri viſum, partim ob iſtos fructus ad ſuſtentationem tam ſuam, quàm mariti filiorumque, ſi quos habet, impendendos. *l. 29. C. d. jur. dot. j. l. 30. C. eod.* (a) Quando maritus fatiſ conceſſit emergitque. e. g. quia ſolvendo non eſt, neceſſitas dotales res à mariti patrimonio, inter Creditores diſtribuendo, ſeparandi, fructus dotis unà cum ipſis dotalibus bonis etiam eſſe reſtituendos haud ambigo, ut mulieri pleniffimè conſulatur. *a. d. l. 30. l. 7. ff. ſolut. matrim.* Equidem videri poterat *Jure Sax.* quoque hæc ſententia mereri aſſenſum, quia ampliffimus eſt favor dotis & ſpeciali determinatione Jura Civilia à Saxonibus non ſunt mutata. *a. l. 27. C. d. Testament.* attamen quoniam in fructibus acquirendis Juri Saxonici ratio & diſpoſitio juſ circa industriale fructus ex præcipuo labore peractò æſtimat magiſque illius, quàm ſeparationis à ſolo, rationem habet, agris dotalibus. v. g. à marito conſitis raſtroque ſubactis, tam validum ipſi juſ quoad fructus percipiendos quæſitum eſſe autumo, ut illud creditoribus mariti extorqueri nequeat. *a. L. R. l. 2. a. 58. l. 3. a. 76. P. 3. C. El. 32. §. alſo auch. §. gleiches fallſ.* (b) Quam-

D

vis

vis igitur insigni favore digna sit: dos uxoris, contra justitiam tamen fa-
vor iste extendendus non est. *a. c. 6. X. d. donat. int. vir. & ux.* neque jura
quæ sita Creditoribus auferenda sunt. *l. 6. ff. d. pact.* maximè cum Jura
Saxonica. *d. l.* non de meris Usufructuariis, sed Vasallis etiam agant,
haud obscuro indicio diversitatem juris haud peperisse usufructuarii
conditionem; verùm culturæ rationem. (c) Porro necessitas alimentor-
um uxori quarendorum, per fructuum industrialium vindicationem,
in contrariam haud invitat sententiam. Nam ista quidem in Sax. El.
ansam dedit privilegio, intuitu cujus usura unà cum sorte dotali uxori
in concursu adjudicatur. *O. P. S. t. 50. §. 5. Denn wann.* (d) verùm se-
mel quæ sita Creditoribus in bonis mariti, adeoque etiam fructibus in-
dustrialibus, jura iisdem interverti æquitas haud patitur. *a. l. 2. ff. d. his
qui sui vel. alien. jur.* Atque hæc fructuum vindicatio usu suo haud
destituitur tum quoque, quando uxor utili rei vindicatione res ex do-
tali pecunia comparatas, & in massa concursus mariti solvendo non exi-
stentis vel tertii superstites, persequitur. *a. l. 55. ff. d. donat. int. vir. &
ux. j. l. 47. §. 1. ff. d. neg. gest.*

(a) ANT. FABER in C. l. 5. t. 15. d. 1. n. 28. (b) v. COLER. Dec. 286.
n. 99 seqq. (c) j. CARPZ. P. 3. C. 32, d. 1. (d) CARPZ. P. 1.
C. 28. def. 166.

Th. XXI.

Sicuti verò ex antea deductis indubitatum redditur, quod mulie-
ri dotalium vel ex dote comparatarum rerum vindicatio, marito ad in-
opiam redacto, competat. *l. 29. C. d. jur. dot. l. 30. C. eodem.* ita superest,
ut inquiratur *h. l. Utrum Marito, alienatori rerum dotalium immo-
bilium, contra L. Juliam distractorum, vindicatio concedenda sit
nec ne? Pro affirmativa opinione mihi militare licebit,* (a) expendenti
& legis prohibitionem & rationem. Legis Julix prohibitio tantæ est
virtutis ut validitatem alienationis impediatur, cum illa, quæ lege prohi-
bente fiunt, pro infectis agnoscenda sint. *l. 5. C. d. Leg. j. l. un. §. 15. C.
d. R. U. A.* & quod nullum est, nullum pariat effectum. *c. 52. d. R. J.
6.* præcipuè quoties ratio prohibitionis non alienantis, sed alius, inter-
esse respicit. Quoniam igitur vetita est fundi dotalis in alium trans-
latio, propter favorem dotis mulierumque, maritis per illicitum alie-
nationis actum haud permissum erit renunciare juri pro aliis introducto.

§. 1.

a. l. 29. C. d. pact. Nam certissimam est, adeo utilitatem uxorum intendisse Legem *un. §. 15. C. d. R. U. A.* ut ne quidem consensum mulieris in ipsam alienationem pateretur esse efficacem. Præterea utilitas publica ansam isti prohibitioni dedit. Cum enim securissima sit immobilium conservatio. *a. l. 22. C. d. adm. tut. & dotem mulieribus esse salvam Reip.* expediat, quò mulieres facilius novam nubendi occasionem invenient, prolemque Reipubl. profuturam procreent. *l. 1. ff. solut. matrim.* validitatem inutili, ob præjudicium alienum, alienationi conciliare nequit maritus, quam, ob nullitatis vitium, impugnationem & revocationem ipsius mariti haud excludere probabiliter colligitur ex *arg. l. 42. ff. d. usurp. & usuc. l. 17. ff. d. fund. dot.* Uterque textus enim de validitate alienationis fundi dotalis in respectu ad maritum tractat, & quam potestatem negotio ex postfacto convalescente denegat, ab initio tacite largitur. Itaque, sicuti confirmata alienatione maritus prædictum dotale vindicaturus non auditur, ita is audiri meretur, quamdiu vitio nullitatis venditio laborat. *dd. U.* idque haud obscure indicat. *d. l. 17.* quæ fundum emtori non patitur avelli, si in matrimonio mulier decesserit, & dos lucro mariti cesserit, haud illiquido indicio, quod avelli possit fundus, quamdiu translationi inutili non accessit nova eandem corroborans causa; maxime quia post fata uxoris, & in relatione ad pactum de lucranda dote adjectum, non controversitur de repetitione facienda ab uxore, quæ vivere desiit, ejusve hærede, quem pactum dotale à vindicatione excludit, sed de repetitione mariti, cujus admiffa in alienatione nullitas ejusdem vindicationem haud remoratur. *a. c. 52. d. R. §. 6.*

(a) Conf. SAND. *d. Prohib. rer. alienat. c. 10. §. 7. AR. PINELL. d. bon. mat. part. 3. n. 73. BRUNN. ad l. 1. ff. d. fund. dot. n. 2. Diff. ANT. FABER. in C. l. 5. t. 15. d. 1. n. 18.*

Th. XXII.

Verum enim verò *indultam marito fundi dotalis vindicationem nonnullæ in dubium vocant rationes*, quas perpendi ex usu erit. Primò notissimum est contra factum suum, licet illegitimum, eum, qui factum suscepit, venire non posse. *a. l. 25. ff. d. adopt.* nec improbare quenquam jure, quod semel probavit. *a. l. 5. C. d. O. & A. j. l. 14. C. d. R. V. l. 13. C. d. non num. pec.* unde colligunt, marito fundi à se alienati vindicationem haud esse permittendam. At quis nescit alios actus ab

D. 2

ar-

arbitratu privatorum dependere, ipsorumque interesse saltem concer-
nere, alios eorundem arbitrio eximi. Quoties posterius contingit, ab-
furdi nihil est privatos proprium factum contra leges perpetratum im-
pugnare, & rectiore voluntate illegitimè facta rescindere. Ita favor
liberæ testamenti factionis inanem esse voluit declarationem, qua testa-
tor se à priore voluntate recedere nolle dixerat. *l. 22. ff. d. leg. 3.* & pro-
movenda agricultura alienari servos glebæ adscriptos sine terra vetuit;
verum alienatori vindicatione non interdixit, sed potius eam, ob inter-
esse publicum, expressè eidem permisit. *l. 7. C. d. agric. & cens. & co-
lon.* Simili ratione, ob publicum fundi dotalis conservandi favorem,
prohibita marito alienatio proprio ejus facto rescindi revocarique me-
diante vindicatione haud verabitur. *j. c. 33. X. de jurej. l. 1. C. d. fid. &
jur. bast. fisc. l. 1. C. d. liberal. caus. (a)* Secundò inferunt alienationem
fundii dotalis à marito factam vitio nullitatis laborare non simpliciter,
sed in relatione ad uxorem, cujus intuitu prohibita est illius alienatio. *pr.
7. quib. alien. lic. vel non.* Verum hæc interpretatio repugnat juri a-
ctum contra leges susceptum inutilem pronuncianti. *l. 5. C. d. Leg. &
dotium publico favori. l. 2. ff. d. jur. dot. nec præsidium sibi polliceri
potest ex l. 17. ff. d. fund. dot. l. 42. ff. d. usurp. & usuc.* quando quidem
harum legum sententiam validitatem alienationis mariti non probare
in th. prac. deductum est, & actus ab initio nullus ex postfacto sibi ro-
bur adsciscere potest. *a. l. 3. §. 10. ff. d. donat. int. vir. & ux. j. l. 32. §.
1. ff. eod. l. 34. §. 3. ff. d. contrab. emt. d. l. 42. & th. 5. in superioribus.*
Tertiò, sunt qui censeant, excludi maritum prædium dotale vindicatu-
rum per exceptionem rei venditæ & traditæ, quia, quem de evictione
tenet actio eundem agentem multò magis repellit exceptio. *l. 17. ff. d. e-
vict. j. l. 156. §. 1. ff. d. R. 7.* Sed, an & quatenus hoc casu maritus sit ad
evictionem obligatus nondum satis est confectum, siquidem contra le-
ges, utilitatem publicam respicientes, celebrata conventio periculo e-
victionis alienantem videtur eximere, cum imputari possit accipienti,
quod, lege vetante, contraxerit. *a. l. 27. C. d. evict. l. 7. C. d. agric. &
censit. & colon.* adeoque isti periculo detrimenti se immerferit. *d. l. a. l.
203. ff. d. R. 7. (b)* Posito autem quod ad evictionem, e.g. ob justam em-
toris ignorantiam, quædam nascatur obligatio. *fac. §. f. I. d. emt. vend.*
vindicantem tamen haud repellit exceptio rei venditæ & traditæ, cum
hic contractus in mulieris & Reipubl. utilitatem vitio nullitatis sit ob-
noxius. *a. l. 25. C. d. evict. d. l. 7. (c)*

(a) SAND.

(a) SAND. d. tr. c. 6. §. 3. n. 18. j. CHRISTIN. V. 3. dec. 133. n. 27. (b)
FRANZ. ad π. t. d. evict. n. 236. 239. seq. (c) HAHN. ad WES. t.
d. exc. rei vend. & trad. n. 3. §. 2.

Th. XXIII.

Tributa haftenus quandoque marito quandoque uxori rei dotalis vindicatio, ad separationem illius à concursu impetrandam, renovat scrupulum, qui Dd. in diversas diffraxit sententias: *An scil. constante matrimonio solus maritus, aut sola uxor, an verò uxor unà cum marito, habeat dotis dominium?* Plures ejusdem rei dominium eodem modo simul in solidum haudquaquam sortiri, certius est, quàm ut prolixà probatione indigeat. l. 5. §. f. ff. commod. neque enim rerum natura, neque jus, patitur, ut pari jure domini in dote maritus & uxor in solidum fruantur. Interim Dd. alii in dominio dotis uxorem, (a) alii maritum præferunt, (b) mihi tutissima videtur ea leges interpretandi via, quam ipse Justinianus in l. 30. C. d. jur. dot. commonstravit, is enim *indicat constante matrimonio rem dotalem naturaliter in uxoris mansisse dominio, & secundum legum subtilitatem ad mariti substantiam pervenisse; unde colligitur durante matrimonii vinculo naturale dominium penes uxorem esse, at civile penes maritum*, adeoque plures ejusdem fundi dotalis esse dominos, diverso tamen modo, mulierem naturaliter, virum civiliter. Hinc deducere licet rationem, cur jura ipsius fundi dotalis dominium alibi uxori, alibi marito addicant, & in illius exercitio regulariter maritus, irregulariter uxor, sit potior. Scilicet dos in matrifam. bonis. l. 4. ff. d. dot. collat. ejusque quasi patrimonium esse dicitur. l. 16. ff. de religios. & sumt. fun. marito autem doli & culpæ præstatio in rebus dotalibus, tanquam alienis, imponitur. l. 17. ff. d. jur. dot. j. l. 7. §. 12. ff. solut. matrim. eademque adstruitur permanere in dominio uxoris. l. 30. C. d. jur. dot. cui simul vindicatio rerum dotalium constante matrimonio, si maritus desierit esse solvendo, nec non soluto matrimonio, conceditur. l. 29. C. eod. d. l. 30. Vicissim inter titulos ad transferendum dominium habiles refertur datio in dotem. §. 40. j. d. R. D. j. l. 3. §. 1. ff. d. publ. in rem act. fundique dotalis dominium marito asseritur. l. 13. §. 2. ff. de fund. dot. pr. j. quib. alien. lic. vel non. l. 7. §. 3. ff. d. jur. dot. l. 23. C. eod. uxor verò à licentia vindicandi rem dotalem excluditur. l. 9. C. d. rei vind. Ex his pronò fluit alveo, foedere matrimonii perseverante, dominium dotis competere marito ci-

viliter, sive quoad exercitium, licet illius potestas, adempta facultate alienandi in securitatem uxorum, valde sit circumscripta, sed uxoris esse dominium dotis naturaliter s. quiete, ita tamen, ut, cum jactura subest periculum, marito ad inopiam redacto, effectus vindicationis mulieri relinquatur salvus, atque sic maritus & uxor dominium habeant diverso modo, & intra diversos terminos usurpandum. Mirum igitur non est, quod antecedentia quoque monent, aliquando marito, aliquando uxori tribuendam esse dotis vindicandae, ejusque a concursu creditorum separandae, facultatem.

(a) VAUD. Var. quest. l. 2. q. 3. DUAREN. ad t. solut. matr. rubr. de Dotib. & dot. jur. c. 1. n. 4. DONELL. enucl. l. 14. c. 4. lit. f. ubi j. HILLIG. conf. CUSAC. l. 10. O. 32. (b) VINN. ad pr. j. quib. al. lic. vel non. n. 2. HUBER. in pralect. ad Inst. pos. j. HOPP. ad d. pr. BRUNN. ad l. 30. C. d. jur. dot. n. 4. sequ. j. CARPZ. P. 2. C. 42. d. 19. n. 20. sequ. HUNN. Var. Resol. l. 2. tract. 4. q. 14.

Th. XXIV.

Ut paucis satisfiat Dd. mariti dominium rerum dotalium vel in dubium vocantibus, vel ad meram juris fictionem referentibus, addo ipsum dominium fundi dotalis uxori & marito haud obscure addici, ipsamque rem dotalem bonis tam uxoris. l. 4. ff. d. dot. collat. quam viri accenseri. l. 7. § 3. ff. d. jur. dot. l. 75. ff. eod. illius ob naturalis domini vim ejusque effectus notabiliter ad securitatem mulieris collimantes, hujus propter praesentem mariti potestatem vigorem vindicationis exerentem, at sub metu resolutionis. d. l. 30. & sub temperamento legum harentem, quamvis inde domini essentiae nihil decedat. a. l. 9. C. d. R. V. l. 66. ff. eod. l. 3. C. de jur. dot. Quo minus autem jus mariti circa dotem usufructui comparem, aut tenuius esse putem, quam ut domini nomen mereatur, impedit manifestissima legum autoritas, quae fundi dotalis, Lege Julia alienari prohibiti, dominium ad maritum pertinere ferentur. l. 13. § 2. ff. d. fund. dot. eidemque in usucapiendi conditione constituto, amissa possessione, publicianam in rem actionem indulgent, sive aestimata res in dotem data sit, sive non. l. 3. § 1. ff. d. publ. in rem act. proinde non jus aliquod saltem marito quari in re dotali; sed ipsa res in dotem data fieri dicitur mariti. l. 7. § 3. ff. d. jur. dot. eamque regulariter is solus, non etiam uxor, vindicat. l. 9. C. d. R. V. l. 24. ff. d. Act. rer. amot.

Ver-

Verbis autem Justiniani in l. 30. C. d. Jur. dot. adhibitis, quæ hæc sunt: *Non enim, quod legum subtilitate transitus earum in matrimonium mariti videatur fieri: ideo rei veritas deleta vel confusa est*, lucem fœneratur intentio Imperatoris dubium, quod ex translato dotis in maritum dominio suboriebatur, eximere volentis. Quoniam enim dos mariti esse censebatur, & ad mariti hæredes cum ipsa universitate hæreditaria transibat. l. 1. §. 1. ff. de fund. dotal. non erat satis expeditum, qua ratione ipso jure ad uxorem perveniret vindicandi potestas; eam igitur ipse in studio servandi mulieribus dotem & naturali ejus dominio collocat, vi cujus ad mariti substantiam pervenisse quidem dotalia videntur, attamen naturali jure adhuc mulieris sunt, scilicet quoad evitandum dotis detrimentum, aut illius amissionem, sive matrimonio dissoluto, sive marito ad inopiam redacto. d. l. 30. l. 29. C. eod. j. l. 24. ff. solut. matrim.

Th. XXV.

Huc usque expensa est uxorum res dotales vindicandi licentia ad separationem à massa concursus obtinendam, illiusque *Regula Ampliationes commemoratae sunt, nunc ad Limitationes ordo tractationis deducit, quarum Prima est, nisi res dotales venditionis gratia æstimatae sint in dotem datae, & maritus locuples sit, tum enim à concursu tertii peti nequit separatio*. Siquidem hoc casu id actum esse creditur, ut maritus rerum quasi emtor sit, earumque commodum sentiat dispendiumque subeat. l. un. §. 9. C. d. rei ux. act. unde pretii definiti debitor constituitur. l. 5. l. 10. C. d. jur. dot. & si hoc solvat, tempore restituendæ dotis ad ipsius rei comparatæ præstationem compelli nequit. l. 10. §. 5. 6. ff. eod. l. 5. C. eod. frustra igitur laborabit, & æquitatis tramites transcendet, quicumque omne rei emtæ periculum ferentem ab alienandi licentia excludet, distractumque à tertii concursu separandi immoderatam concedet uxori potestatem, maximè cum Justinianus quoque prohibitam fundum dotalem transferendi facultatem ad res inæstimatas in dotem datas restringat, & in rebus æstimatis dominium & periculum esse mariti indicet. l. un. §. 15. C. d. R. U. A. j. l. 16. ff. d. jur. dot. (a) Quoties verò id actum est, ut ipsæ res in dotem datae, licet æstimatae sint taxationis ergo, redderentur, salvum esse uxori vindicandi arbitrium, quamvis ad alium per venditionem res pervenerint, existimo.

stimo. l. 50. ff. solut. matrim. j. l. 69. §. 7. ff. d. jur. dot. idemque defendi posse puto, cum fundus æstimatus ita in dotem datus est, ut eligeret mulier, utrum fundum, an ejus æstimationem, reddi mallet. l. 11. ff. d. fund. dotal. nam iste fundus etiam, tanquam dotalis, alienationi eximitur. d. l. l. 1. C. eodem. Quodsi autem contingat maritum bonis labi & res dotales, quamvis æstimatæ, vel apud ipsum vel tertium supersint, ad quem viri arbitrato translatae sunt, rei vindicationem uxori competere autumo, manifestis Justiniani verbis in l. 30. C. d. jur. dot. j. l. 29. C. eod. l. 55. ff. d. donat. inter vir. & ux. §. 34. f. d. R. D. motus, qui in rebus dotalibus, sive mobilibus sive immobilibus, sive se moventibus, sive æstimatis sive inæstimatis vindicandi jus tribuit, quasi in uxoris dominio æstimata quoque in hunc eventum permanerint. d. l. 30. Itaque cum, vel constante matrimonio vel eodem soluto, mariti egestas uxorem sibi vigilare jubet, eadem æstimatas quoque res dotales extantes à concursu mariti tertive separare haud vetabitur. (b)

(a) SAND. d. prohib. rer. alienat. c. 10. n. 5. ZANGER. de Except. Part. 3. c. 11. n. 84. (b) VINN. ad pr. f. quib. al. lic. vel non. n. 2. verb. quamvis in f. ANTON. PEREZ. ad C. t. d. fund. dot. n. 6. ZANG. d. except. d. l. n. 86. SALICET. ad l. 30. C. d. jur. dot. n. 2. BRUNNEM. ad l. 30. C. d. jur. dot. n. 10. COVARRUV. pract. quest. c. 28. n. 8. Diss. HUNN. Var. Res. l. 2. tract. 4. q. 14. verb. præterea.

Th. XXVI.

Secunda Limitatio vult res ab uxore dotis titulo datas à concursu tertii non separari, quamdiu maritus locuples est, quotiescunque mobilia sunt in dotem concessa. Gajus enim docet in l. 42. ff. d. jur. dot. res in dotem datas, quæ pondere, numero, mensura, constant, mariti periculo esse, quia in hoc dantur, ut maritus eas ad arbitrium suum distrahat, & quandoque soluto matrimonio ejusdem generis & qualitatis alias restituat. Quod quamvis in rebus fungibilibus, de quibus d. l. loquitur, facile largiantur Interpretes Juris, circa res non fungibiles tamen divortium faciunt, dum alii saltem mobilia, quæ servando servari nequeunt, liberè à marito alienari, (a) alii quoque ista, quæ servando servari possunt, jure mariti rectè distrahi contendunt. (b) In quo dissidio posteriori quam priori sententiæ accedere malo. Nam rerum mobi-

mobiliū, quas maritus ex dotis causa accepit, ipse dubio procul Dominiū exercet vindicando eas à quovis possessore. *l. 9. C. R. V.* etiam ipsa uxor, cum easdem res marito amovit. *l. 24. ff. d. act. rer. amot.* adeo, ut servi dotalis manumissionem suo faciat arbitrato. *l. 3. C. d. jur. dot. l. 3. §. 2. ff. d. suis & leg. her. l. f. C. d. serv. pign. dat. manum. j. l. 42. ff. d. jur. dot.* dummodo ipse solvendo sit: quando enim solvendo non est libertas servi impeditur, ut constante matrimonio deberi dos intelligatur. *l. 21. ff. d. manumiss. l. 1. C. d. serv. pign. dat. j. §. 6. f. qui & ex quib. caus. manum. l. 24. ff. solut. matrim. l. 29. C. d. jur. dot.* Tenue verò est, quod dissentientes deducunt ex *l. un. §. 15. C. d. R. II. A.* argumentum, contententes fundum dotalem illic exempli saltem loco commemoratum, idemque de mobilibus, quæ servando servari queunt, judicandum esse. Quandoquidem propter immobilium utilissimam conservationem, quod de Prædio Italico cautum erat, ad Provinciale extensum est, non verò ad ista mobilia, quorum si impediretur translatio, non tantum dominium dotis, penes maritum existens, terminis nimis angustis circumscriberetur, sed etiam contrahentibus cum marito nova formido detrimenti commerciisque obstaculum injiceretur, quia difficillimum cognitu est, an & quæ mobilia in dotem concessa sint. Cæterum argumentum à tutore petitum ex *l. 22. C. d. admin. tut.* claudicare nemo non videt, nam res pupillares administrationi ejus, tanquam alienæ, sunt creditæ, cujus licentiæ frenum injiciendum fuit, ne minus necessariæ alienationes pupillis essent noxiæ; sed Maritum Jura rerum dotalium esse voluerunt Dominum. *pr. f. quib. al. lic. vel non. l. 13. §. 2. ff. d. fund. dot.* hunc igitur à domini istius exercitio non excludi, *a. l. 21. C. mand.* neque ejus potestatem ad tutorum disponendi arbitrium exigi, par est. Interim, si contingat maritum solvendo non esse, uxori haud deneganda rerum dotalium mobilium vindicatio, quod innuit *l. 29. C. d. jur. dot. j. l. 30. C. eod.* in rebus dotalibus, quæ extant, sive mobilibus sive immobilibus sive se moventibus, hoc vindicandi jus tribuens, quasi res uxoris propriæ essent, ex quo colligitur à tertii concursu quoque illas in subsidium hoc casu rectè separari. *d. l. a. l. 23. l. 9. ff. d. R. V. (e)*

(a) JAC. THOMINGIUS dec. 31. n. 12. SCHNEIDW. ad pr. f. quib. al. lic. vel non. n. 10. WESENB. in paratit. π. t. d. fund. dot. n. 4. COSTAL. ad l. 1. ff. d. fund. dot. n. 14. (b) SAND. de prohib. rer. alien. c. 10. n. 4. HAHN. ad Wesenb. t. d. fund. dot. n. 4. BACHOV. ad Treutl. V. 2. d. 7. th. 9. lit. c. LUDWELL. ad pr. f. quib. alien. lic. vel non. n. 2. VINN. ibid. n. 1.

E

Th.

Tertia Limitatio haud patitur res dotales à marito in alium translatas separari à concursu tertii, quoties ex causa necessaria susceptus est alienationis actus. l. 1. ff. d. fund. dot. Ut puta cum prædium dotale inter uxoris cohæredes aliosve fuit commune, atque ab iis ad divisionem provocatum. l. 2. C. d. fund. dot. ob odium communionis, in qua invitati perseverare non compelluntur. l. 43. ff. fam. hercisc. l. 5. C. commun. divid. l. 17. C. d. præd. & al. rebus minor. (a) Pariter, quando maritus de damno infecto vicino non cavet, atque is propterea in possessionem fundi dotalis missus tandemque illum jussus est possidere. l. 1. ff. d. fund. dot. j. l. 15. §. 20. 33. ff. d. damn. infect. l. 7. §. 9. ff. comm. divid. existit necessitatis casus, in quo alienatio sustinetur. d. l. 1. j. l. 13. ff. fam. herc. (b) idemque sentiendum, quoties creditores hypothecarii ex re dotali, quam legitime suppositam hypothecæ acceperunt, solutionem sibi fieri cupiunt, ipsaque tum necessitas distractionem ejus fieri jubet, quod secus est, si ob personalia mariti debita ad hanc venditionem prædii dotalis deproperetur. (c) Inter necessarias alienandi causas quoque referre licebit egestatem, ob quam translatio fundi dotalis in alium à marito facta sustinetur, si vel famis gravitas in uxore liberisque, vel eorum necessaria ab hostibus redemptio, id exegerit. a. l. 73. §. 1. ff. d. jur. dot. l. 20. ff. solut. matrim. sine alimentis enim vivi nequit. l. 4. ff. d. agnosc. vel alend. lib. & captivorum redemptio causis maxime piis necessariisque accensetur. l. 36. C. d. donat. §. 8. J. d. Rer. div. præcipue cum etiam filiorum sanguinolentorum distractio, ob indigentiam onus, victus causa patribus fuerit permissa. l. 2. C. d. Patrib. qui fil. suos distrax. (d) Quid vero obtinebit in eventum factæ alienationis necessariae, si maritus solvendo non sit, an tum quoque utilem fundi dotalis vindicationem contra tertium possessorem indulgeri fas erit? Probabile hoc videri poterat l. 30. C. d. jur. dot. verbalaxè interpretanti, & res ad tertium eo modo translatas pro dotalibus iisque extantibus agnoscanti; accedit conjugii, qua fieri potest, cura in dotalibus bonis quaerenda indemnitas miseraque mariti bonis lapsi conditio, cui hac via novus cederet è rebus à tertio vindicandis reditus vitæque felicius sustentandæ nova occasio subnasceretur. a. l. 29. C. eod. Verum, quoniam plenissimum effectum sortiri necessariam hanc alienationem ex a. l. 1. ff. d. fund. dot. l. f. ff. d. jur. dot. colligitur, & alienationis prohibitio devoluntaria intelligenda venit. d. l. 1. l. 13. ff. famil. hercisc. marito etiam solvendo non existente uxori ea lege vindicatio rei dotalis conceditur, ut constante matrimonio fructus ejusdem ad sustentationem uxoris mariti filiorumque, si quos habet, expendantur. l. 29. C. d. jur.

jur. dot. præterea emtorem ne quidem, urgente alienationem necessitate, inventurus esset maritus, nisi eidem plenaria quaereretur securitas, non puto. *salvum esse mulieri saepe dictam vindicationem.* Certè, cum illa contra juris rationem in singularem mulierum utilitatem introducta sit, strictissimam privilegii explicationem adhibendam esse censeo. *a. l. 14. ff. d. leg. l. 27. C. d. testam.* quæ haudquaquam fert, ut ad præsentem necessitatis casum referatur alienationis, onerosa possessoribus, revocatio; præcipuè, quia minorum patrimonio conservando liberalissimè prospectum, non tamen ea providentia, ut ex necessitate juxta leges susceptæ alienationes vel impediri penitus, vel perfectæ pro arbitrio irritari, possent. *l. f. C. d. præd. & al. reb. min.* Ut taceam, fructibus rei dotalis necessitatibus uxoris, mariti, liberorumque haud sufficientibus, at ære alieno urgente, infelicem fore fœminam, quæ sumtus sæpe subitaneos & inevitabiles, neque suo neque mariti factò, impetrare posset. *a. l. 29. C. d. jur. dot.* subsecuturæ repetitionis metu emtores futuros deterrente. *fac. C. 61. d. R. 7. 6. l. 38. ff. d. leg. 3. §. f. 7. d. Usucap. (e)*

(a) JACOB. THOMING. *dec. 31. n. 38.* (b) BACHOV. *ad Treutl. V. 2. d. 7. tb. 9. l. c. CUJAC. l. 7. obf. 23.* (c) BRUNN. *ad l. 1. ff. 7. fund. dot. n. 3.* (d) v. THOMING. *Dec. 31. n. 32. seqq. SCHNEIDEW. ad pr. 7. quib. al. lic. vel non. n. 12. CHRISTIN. V. 3. Dec. 133. n. 28.* (e) Conf. *id. d. l. n. 32. SCHNEIDEW. d. l. THOMING, d. l. n. 31. seq. VINN. ad pr. 7. quib. alien. lic. verb. quamvis inf.*

Th. XXVIII.

Quarta limitationi ansam præbet utilitas uxoris, quando enim ea hoc desiderat etiam fundus dotalis jure alienari potest, alienatig. separatio à Concurſu Creditorum non jure postulatur. Veluti si fundus sterilis aut sumptuosus permutetur cum fructuosiore, aut minus sumtuoso. *a. l. f. ff. d. jur. dot. l. 61. §. 1. l. 26. ff. eod.* Siquidem lex prohibitiva, quæ marito fundi dotalis alienatione interdixit, ita est capienda, ne, dum immobilia servando commodis uxorum studet, eadem indirectè, illorum commutationem cum melioribus remorando, evertat. *a. l. 6. C. d. leg. c. 61. d. R. 7. 6.* (a) Nihilominus sedula eò laborandum est cura, ne sub prætextu utilitatis prædia dotalia cum minus utilibus permutentur & lucelli spes potius, quàm evidens emolumentum, alienationem pariat. *a. l. 13. ff. d. reb. eor. qui sub. tær. vel cur. aliàs enim ipsa distractio pro invalida agnosceretur. a. l. 5. §. 14. ff. eod. j. l. f. ff. d. jur. dot. & rei suæ vindicatio mulieri illæsa servabitur. dd. ll. item. a. l. 21. ff. d. pact. dot.* virtute cujus rem hanc dotalem, tanquam non alienatam, à mariti tertii concursu separari petat. (b)

(a) THOMING. Dec. 31. n. 46. 47. SAND. de probib. rer. alien. c. 10. n. 9.
(b) THOMING. d. l. n. 47. CHRISTIN. V. 3. D. 133. n. 31.

Th. XXIX.

Quintam Limitationem suppeditat casus, quo maritus ejusve hæres dolo malo fundum dotalem alienavit, atque is jure dotis ex rebus illius, qui eum comparavit, vindicatus est: tum enim vice prædii non est pretium ejus apud venditorem maritum ejusve hæredes, qui solvendo non sunt, existens, idque à reliqua concursus massa, tanquam dotale, separari haud convenit. §. 2. I. quib. alien. lic. l. 48. §. f. ff. d. furt. Nam, ut reliqua præteream, Dominus, qui rem suam à tertio possessore consecutus est, non habet amplius, adversus illum, qui istam dolo malo in alium transtulit, actionem, & quod dicitur, qui dolo malo desit possidere pro possidente damnatur, quia pro possessione dolus est. l. 131. ff. d. R. J. locum virtutemque amittit, quoties tertius possessor conventus rem litise æstimationem solvit, eaque præstita petitoris nihil amplius interest. l. 95. §. 9. ff. d. solut. l. 13. §. 14. ff. d. hered. petit. (a) Caterum alias, quando maritus ejusve hæres, in quem per universitatem prædium dotale transit, eo cum jure, ut alienari nequeat. l. 1. §. 1. ff. d. fund. dot. l. 62. ff. d. acquir. rer. dom. (b) de facto ad alienationem pervenit, haud prohibebitur rei vindicatione conveniri, utpote qui dolo malo rem, quæ vindicatur, non amplius possidet. l. 36. ff. d. R. V. j. l. 199. ff. d. R. J. l. 41. ff. ad L. Falcid. eamque ob rem condemnandus est: Adversus ipsum fundum dotalem restituere non valentem juramentum in litem affectionis locum habet. l. 68. ff. d. R. V. l. 16. §. 3. ff. d. pignor. (c)

(a) STRUW. S. J. C. Ex. 11. th. 12. n. 2. (b) JACOB. THOMING. Dec. 31. n. 44. seqq. (c) ZANGER. d. Exc. P. 3. c. 11. n. 93.

Th. XXX.

Quod de hærede mariti dictum est, utrum saltem ad eum, qui ab intestato venit, an verò etiam ad testamentarium pertineat paucis subjicere lubet. Nempe quoniam l. 1. §. 1. ff. d. fund. dot. per universitatem transire prædium dotale, secundum quod possibile est, ad hæredem mariti commemorat, idemque l. 62. ff. d. acquir. rer. dom. confirmat, imò in declaratione addita hæredis instituti expressè meminit, adeoque ratio decidendi in acquisitione per universitatem consistit, & inter modos deferendi hæreditatem hac in parte evidens haud intercedit diversitas, jure distinctionem ignorante eidem locum non esse relinquendum puto. a. l. 8. ff. d. publ. in rem act. N. 18. c. 5. Siquidem hæres tam ex testamento, quam ab intestato, personam defuncti repræsentat.

a. N. 48. l. 14. C. d. R. V. l. 62. ff. d. R. J. (a)

(a) HUNN. Var. Resolut. Jur. Civ. l. 2. tr. 4. q. 16.

Th.

Huc usque imprimis actum est de rebus uxorum dotalibus à concursu creditorum separandis, *nunc ad Parapherna deducor*. Dicunt autem Paraphernalia in stricto sensu, quæ uxor præter dotem ad maritum intulit, (a) ejusq; administrationi commisit, *a. l. 8. l. f. C. d. pact. convent. l. 95. ff. ad L. Falcid. l. 9. §. f. ff. d. jur. dot.* (b) Horum vindicatio sæpe necessaria est in concursu mariti, cui ea, quæ ipsius administrationi commissa sunt, facile immisceri solent. Ad tertii Concursum Creditorum si respicias, ab eodem etiam optimo jure petitur restitutio rerum paraphernalium extantium, quia illarum dominium uxori constante quoque matrimonio salvum est, neque enim Jus Civile eam constituit bonorum communionem inter conjuges, qua res uxoris mariti maritique uxoris, ratione proprietatis, esse censeantur. *l. 1. l. 24. ff. d. action. rer. amot. j. l. 8. l. f. C. d. pact. convent. l. 9. §. 3. ff. d. jur. dot.* Atque hinc deducitur *Regula: Paraphernalia Uxoris bona, quæ extant, à Mariti tertii ve concursu Creditorum, constante & dissoluto matrimonio, separanda sunt*. Cum enim cuius domino facultas competat separationem suorum bonorum à Concursu Creditorum petendi. *l. 5. §. 18. ff. d. tribut. act. O. P. S. t. 42. §. 1.* Wenn der Gläubiger bescheinigen kan/ daß ihme unter denen Gütern/welche bey dem Schuldner gefunden werden/was eigenthümlich zustehe / soll ihm dasselbe vor allen andern / sie seynd gleich berechtiget oder privilegiret / wie sie wollen/folgen/in deteriore conditione non est constituenda uxor paraphernalia repetens, cui, cum eorum dominium ad maritum regulariter haud transierit, libera competit constante & soluto matrimonio vindicandi licentia. *l. 1. C. d. privil. fisc. l. 2. C. ne ux. pro mar. l. 24. C. d. donat. int. vir. & ux. l. 29. C. d. jur. dot. l. 8. C. d. pact. convent. j. O. P. S. t. 43. §. 2. verb.* Es wäre denn ihr zugebracht eigenthümlich Gut noch unverändert verhanden/denn alsdenn mögen sie sich dessen/wie oben gemeldet/vor allen andern Gläubigern halten/quâ uti potest, per maritum item per alium, cui eam dedit potestatem, *d. l. 8. prout uxoris id determinaverit voluntas. d. l. & circumstantiarum permiserit diversitas*: quando enim maritus ære alieno obrutus creditoribus suis tanquam reus respondet, actoris vicibus secundum juris dispositionem fungi nequit. *a. §. 3. f. d. auctor. tut.*

(a) CARPZ. P. 1. C. 28. def. 89. SALICET. ad l. 1. C. d. privil. fisc. n. 4.

(b) j. BRUNN. ad l. 8. C. d. pact. convent. n. 12. (c) BERL. P. 1. Concl.

65. n. 66. CARPZ. P. 1. C. 28. d. 13. item. d. 86. n. 7. FINCKELTHUS.

obs. 118. n. 5.

Th. XXXII.

Premissa de uxoris jure paraphernalia vindicandi Regula limitatur, si id actum sit, ut paraphernalium dominium ad maritum transfret: tunc enim non vindicatio; sed condictio eorum uxori tribuitur. *l. 9. §. 3. ff. d. jur. dot.* Siquidem ex solâ translatione domini dos constituta non creditur. *d. l.* unde nec ista pecunia, ut dotalis, actione dotis peti potest. *d. l.* mulier potius fidem mariti secuta, quando hoc circumstantiarum ratio indicat. v. g. pecuniam mutuò dedisse videtur, ejusque repetendæ nomine condictionem certi ex mutuò habet. *a. l. 27. §. 2. ff. d. aur. arg. mund. leg. l. 2. §. 1. 4. ff. d. R.C. pr. I. quib. mod. re contrab. obl. l. 9. ff. d. R.C. (a)*

(a) Conf. *CARPZ. P. 1. C. 28. d. 90. MEV. P. 6. dec. 246. SCHILT. ad π. Ex. 36. §. 86.*

Th. XXXIII.

Verùm non leve est *inter Dd. dissidium, Utrum illata ab uxore in dubio dotis nomine, an verò paraphernalium titulo tributa censeantur?* Cum igitur paraphernalia, etiam durante matrimonio, & marito solvendo existente, à tertii Concurſu Creditorum vindicari queant, dotalia quævis non æquè; vicissim rerum dotalium vindicatio in favorem dotis concessa. *l. 30. C. d. jur. dot.* ad parapherna applicari non possit, operæ pretium erit indagasse, num bona in dubio dotalia an paraphernalia esse præsumantur? *Pro paraphernalibus recte responderi existimo Jure Civili (a) & Saxonico. a. l. 27. C. testam. (b)* Ex Jure Civili memorata sententia satis evidentibus confirmatur argumentis, quoniam (1) dotis constitutio fit per conventionem, quæ, cum facti sit, non præsumitur; sed probanda est. *a. l. 7. §. f. l. 30. l. 68. ff. d. jur. dot. j. l. 7. §. f. ff. d. curat. furios.* (2) Matrimonia non dote, verùm affectu conjugali, contrahuntur. *l. 11. C. d. repud.* adeoque dos eorum accessio est, ita tamen, ut nuptiæ sine dote queant subsistere, licet dos absque matrimonio esse non possit. *l. 3. ff. d. jur. dot.* (3) Id voluisse quilibet creditur in dubio, quod minimum parit præjudicium. *a. l. 25. ff. d. probat.* at in dotem datio maritum constituit rerum dotis titulo concessarum dominum. *l. 42. ff. l. 3. C. d. jur. dot. l. 13. §. 2. ff. d. fund. dot. l. 9. C. d. R. V. uxoremque Dominio Civili, si paucos excipias effectus, exuit. d. l. 9. l. 29. l. 30. C. d. jur. dot.* itaque non tam dotis constitutionem, quam paraphernalium illationem, præsumi benignius est in favorem uxoris. *l. 8. l. f. C. d. pact. convent.* Ad contrariam opinionem fovendam nimis tenui fundamento instigat *lex 23. ff. de jur. dot.* quæ in stipulatione dotis adjectionem haud esse necessariam disponit, idemque in dotis datione statuit: nam quando de dote constituenda actum est,

est, sicuti dotis causam in stipulatione nominatim exprimi necesse non est, quippe de qua aliunde, veluti ex instrumentis dotalibus. *a. l. 11. C. d. repud.* constare sufficit. *a. l. 25. §. f. ff. d. probat.* ita quoque, quoties praesumptiones dotis datae concurrunt, peculiari expressione dationis in dotem opus non est. *a. l. 48. §. 1. ff. d. jur. dot.* Praeterea *l. 13. l. 40. l. 64. ff. eod.* facile satisfit, dummodo inter dotis constitutionem & constitutae renovationem distinguas, hanc, non illam, tacita voluntate fieri largior.

(a) Conf. *GAIL. l. 2. Obs. 82. n. 3. seqq. BRUNN. dec. 50. n. 3. FINCKELTH. O 118. WISSENB. ad π. P. 1. d. 46. th. 14. SAND. l. 2. t. 2. d. 2. DN. SWEND. ad Eckholdt. t. d. jur. dot. §. 8. verb. pro paraphernalibus. SALICET. in l. 72. ff. d. jur. dot. BACHOV. ad Treutl. F. 2. D. 7. th. 5. lit. b. verb. Sed quid. JACOB THOMING. dec. 18. n. 20. MENOCH. d. presunt. l. 3. pres. 6. n. 54. seqq. BERL. P. 1. C. 65. n. 69. HART. PIST. Obs. 46. n. 5. seqq. j. BARTOL. ad l. si constante. ff. solut. matrim. n. 78. (b) CARPZ. P. 2. c. 16. d. 11. THOMING. Dec. 30. n. 9. seq. j. MOLLER. ad P. 1. C. El. 28. n. 38. seqq. DISS. SCHILT. ad w. Ex. 36. §. 80. COLER. Dec. 57. n. 3.*

Th. XXXIV.

Ad Jus Saxonicum conversus deprehendo sollicitè urgeri Jus Mariti, virtute cujus ipse omnia uxoris bona in tutelam suam suscipit autoritate juris. *L. R. l. 1. a. 31. 45.* unde fluere putant omnia etiam esse dotalia, maxime cum eidem intentioni, cui dotis datio, serviant, sublevandis scil. matrimonii oneribus. *l. 20. C. d. jur. dot.* quibus addunt sub generalibus verbis: *Ein gebrachtem Gute in P. 1. C. El. 28.* res dotalis significari. Verum non difficilis est ad dictos textus responsio, perpendenti jus administrandi, quod Marito Jura Saxonica concedunt, non ex dominio; sed administrationis tutelaris & ususfructus jure descendere, haud obscuro dominii penes uxorem haerentis indicio. Id quod confirmat *L. R. l. 1. a. 31. verb. an ihren eigent* & repetit. *a. 45.* illis verò, quae ex generalibus illatorum verbis eliciuntur *P. 1. C. El. 28.* lucem foeneratur partim intentio Electoralis ad *l. 12. C. qui pot. in pign.* respiciens, partim. *T. 43. O. P. S. §. 1.* adductum praelationis privilegium nominatim explicans, *von dem Ehegelder oder Heyraths-Gute.*

(a) Taceo exiguum inesse pondus argumento, quod infert ea uxoris bona, quae onera matrimonii sublevant, esse dotalia: hoc enim neque simpliciter Juri Civili. *a. l. 7. §. f. ff. d. jur. dot. l. f. C. d. pact. convent.* neque rationi juris apud Saxones, maritum per fructus bonorum ad uxorem pertinentium adjuvantes satis convenit, fac. *L. R. l. 1. a. 31. & 45. j. l. 37. ff. d. leg.* (b)

(a)

(a) CARPZ. P. 1. C. El. 28. def. 86. (b) SCHILTER, ad π. Ex. 17. th. 13.
CARPZ. P. 2. C. 10. d. 9. n. 6. & præc.
Th. XXXV.

Denique ad Res Receptitias pergo, quo nomine venire solent ea, quæ uxor ad maritum non intulit; sed sibi quoad proprietatem, usum fructum & administrationem reservavit. a. l. f. C. d. pact. consent. l. 21. C. d. procurat. j. l. 31. §. 2. ff. d. donat. mort. caus. (a) Quoniam enim uxori de suis pacisci licet, liberaque voluntate declarare, quid juris circa bona sua ad maritum transire velit. l. 7. §. f. ff. d. jur. dot. l. 8. C. de pact. consent. nihil prohibere videtur, quo minus receptitia bona à reliquis separentur, & peculiari nomine utantur. Quo certius autem est, salvum esse in iis & dominium & administrationem uxori, eo confidentius eidem rei suæ libera vindicatio permittitur, siue receptitia bona in massa concursus mariti, siue tertii deprehendantur. a. l. 5. §. 18. ff. d. tribut. act. j. O. P. S. t. 43. §. Was aber z. Verb. Es wäre dann. Veruntamen si ex illis, quæ receptitia appellant, bonis uxor marito certam pecuniæ quantitatem mutuo dederit, ob translatum in ipsum dominium, cessare rei vindicationem extra dubium esse puto. a. l. 7. §. f. ff. d. jur. dot. j. §. 2. I. quib. alien. lic. vel. non. Conf. O. P. S. tit. 43. §. Was aber. Verb. Da sie aber. (b)

(a) CARPZ. P. 1. C. 28. d. 90. MEVIUS ad Jus Lub. P. 3. t. 1. a. 10. n. 72. ECKHOLDT. ad π. t. d. jur. dot. §. 8. THOMING. Dec. 30. n. 36. 37. j. HUBER. in prælect. ad π. t. d. jur. dot. pos. 15. (b) MARTIN. ad O. P. S. tit. 43. §. Was aber. z. n. 35.
Th. XXXVI.


His de rebus uxorum dotalibus, paraphernalibus, iisque quas receptitias vocant, commemoratis ad calcem Thematis subjicio paucis, sæpe dictam rerum dotalium vindicationem neque per solam usucapionem, neque præscriptionem 30. vel 40. annorum extinguere; sed præscriptionem ex eo tempore saltem opponi, ex quo potuerunt uxores vindicationem movere, scilicet maritis in opulentia constitutis post dissolutum matrimonium; at iisdem minus idoneis, ex quo hoc infortunium illis illatum esse claruerit. l. 30. C. d. jur. dot. j. l. 1. §. f. C. d. annal. exc. unde inferunt res dotales immemoriali temporis lapsu demum præscribi. a. c. 26. X. d. V. S. (a)

(a) STRUV. S. 7. C. Ex. 43. th. 24. j. CARPZ. l. i. R. 38. n. 9. seqq. BALB. d. præscript. tert. Part. 6. princ. n. 10. p. m. 512.

Atque hæc sunt L. B. quæ de rebus Uxorum à Concursu Creditorum separandis rudi penicillo delineare, & ad amissam veritatis, pro virili mea, exigere permittit instituti terminus viriumque imbecillitas. Quod si involutam suis difficultatibus materiam evolvendi conatus non omnino Tibi fuerit probatus, ætas & facultas juvenilis veniam ab æquo rerum æstimatore sibi pollicetur. Nemo est, qui à robore inclarescat, & ejus principia tenuem habuisse ortum, at annorum serie exercitiique constantia invaluisse ignoret. Itaque facit ex benevolo tuo de præsentis Disputatione iudicio spem fiduciamque plenioris cum tempore vigoris virtutisque hauriat, qui exiguo huic specimini affectum exorat. Interim Benigno, quod meis ausibus haud defuit, Cælo cœpti consummati; laboris felicitatem acceptam, fero, eidemque studia mea ulterius adjuvanda supplici prece commendo.








ULB Halle
005 309 069


3




SB

V577







DISPUTATIO JURIDICA
De
REBUS EXTANTIBUS
UXORUM A CONCURSU
CREDITORUM SEPARANDIS,

2268.
1697, 17 16

Quam
Consensu
Magnifici Jctorum Ordinis
in
ALMA LIPSIENSI ACADEMIA
SUB PRÆSIDIO

300

DN. LÜDERI MENCCKENII,
Phil. & J. U. D. Supremæ Curiā Provinc. Lips. Assess.
& Min. Princ, Coll Collegiati,

*Dn. Patroni, Fautoris ac Præceptoris sui
æternum colendi,*

Publico Eruditorum Examini

ad d. XIII. Octobr. Anno M DC XCVII.

In Auditorio Jctorum
sistet

JOHANNES ADOLPHUS OVENS,
Hofsatus.

AUCTOR & RESPONDENS.

Literis IMMANUELIS TITII.

J. P. Kruse

